

M. 2, 166.

h. h. 2, 382.<sup>b</sup>

s. M. 2, 385.



1. Irenaei Carpentarii Eruditorum coelum  
centuria singularis
2. Eiusd. Eruditorum coelum Semicenturia  
novissima.
3. Eiusd. Supplementum ad Eruditos coelibus.
4. Georg. Heintz. Goetzi. De Theologis pseudo  
Medicis.
5. Jo: Conr: Boeckmann De doctis Nicolais.
6. Lubeca literata Anni 1701.
7. Brema literata hodie vivens et florens  
an: 1708.
8. Hamburgum literatum Anni 1701.



IRENAEI CARPENTERII  
ERVDITORVM  
**COELIBVM**  
SEMICENTVRIA NOVISSIMA

---

SVBIVNGITVR  
CLAVDII BADVELLI  
DE  
RATIONE VITAE STVDIO  
SAE AC LITERATAE IN MATRIMO  
NIO COLLOCANDAE ET  
DEGENDAE



---

VITTEMBERGAE  
APVD CHR. THEOPH. LVDOVICVM  
A. CIC CI CC XVII

on 4. 8. 6

HENRIE CATHERINI  
PRUDITORVM  
COELITRVM  
SEMICINTAVI MONTESIMIA

SCHIVANETI  
CLAVARI BADALONI  
DE  
RACTIONE VITATU LUDIO  
SAN VINCENZI MARTIRIO  
MIO COTUSINAE ET  
DILECTIONIS



MALLEMBORG  
APUD CHR. THOPH. FLAMICUM  
H. 1615. CC. 241

—

# LECTOR BENEVOLE

**F**quidem nulos tecum Coelibes Erudi-  
tos amplius communicare constitu-  
eram, desideriis tamen illius, cuius  
sumptu, et Centuria Singularis, et  
Semicenturia Noua, lucem aspexit, repugna-  
re nolui, in primis, cum uiderem, qualem  
cunque hunc laborem meum tibi haud omni-  
no displicuisse. Quare denuo tibi Semicen-  
turiam Nouissimam, una cum libello Claudii  
Baduelli, Galli sapientissimi, offero, spe  
fretus non uulgari, nec illam lectione in-  
dignam abs te iudicatum iri. Quod si intel-  
lexero, hanc etiam Semicenturiam, quae  
iam in tuum uenit conspectum, tibi non  
fuisse ingratam, si uita suppeditauerit et  
otium, id operam dabo, ut Supplementum  
adiiciam, in quo sequioris quoque sexus  
eruditio coelibes, a me in scenam produ-  
cantur. Haec autem potissimum erat causa,  
cur uiros eruditione claros, extra coniugi-  
um uiuentes, ederem, ut scripta, quae ad-  
ieci, et de argomento haud iniucundo agunt,  
et rarius inueniuntur, denuo exscriberen-  
tur typis, recreandique animi gratia legè  
possent. Scribebam, A. c. 10 cc xvi, xvi  
Cal. Sextiles.

HRV.

ERV.

# ERVDITORVM COELIBVM CONSPECTVS

---

- |                   |                      |
|-------------------|----------------------|
| I. Albertus.      | I. Nicolai.          |
| M. Bertleffius.   | B. F. de Pagan.      |
| P. Brisotus.      | B. Pascalis.         |
| G. Buchananus.    | I. Perizonius.       |
| Democritus.       | A. Persius.          |
| P. Francus.       | I. V. Pinellus.      |
| G. Galilaei.      | C. H. Postellus.     |
| G. Gentius.       | B. Rhenanus.         |
| H. Grossius.      | I. Rhodius.          |
| V.D. Habermannus. | I. Rodenborch.       |
| C. Hartnochius.   | I. V. Roscius.       |
| G. ab Helmfeld.   | I. Schulzius.        |
| H. C. Ianus.      | I. Schutzius.        |
| C. F. Knorrius.   | C. Scioppius.        |
| I. Kuhnius.       | A. de Sebisch.       |
| I. Langius.       | I. F. a Seilern.     |
| D. T. Lehmannus.  | L. Sirichius.        |
| N. Leonicenus.    | Tatianus.            |
| I. Limnaeus.      | E. Taudius.          |
| S. Lucas.         | I. Theodori.         |
| A. Magliabechius. | I. Valdesius.        |
| I. Mainus.        | M. Verinus.          |
| P. de Mastricht.  | I. P. VValschmidius. |
| R. Mutrey.        | D. VWhithead.        |
| D. Nesselius.     | C. VWolfius.         |
| H. Nicolai.       | ERV-                 |

ERVDITORVM  
**COELIBVM**  
SEMICENTVRIA NOVISSIMA

**I**ohnes ALBERTVS, Rex Poloniarum, Casimiri IIII filius secundus, A. cīo cccc lix natus, doctus, at infelix, heros, A. cīo cccc xcii, consensu fratris, Rex Vngariae et Bohemiae delectus, † apoplexia, A. cīo cīi, aetatis XLII. (a)

**Martinus BERTLEFFIVS**, Transylvanianus, cum, per aliquot annos, Dornpati, in Lyceo regio, fuisset Rector, A. cīo cī cc, Torunii, Professor est factus, † A. cīo cī cc xii, aet. XLVI. (b)

**Petrus BRISOTVS**, Gallus, A. cīo cccc lxxix natus, Parisiis, ubi, per quatuor annos, studiorum causa, uixerat, Philosophiam, per decennium, A. cīo cīi docu-

(a) Vid. Michouii Hist. Polon., D. I. F. Buddei Lexicon Universale.

(b) Vid. Ephr. Praetorii Athenae Gedanenses p. 222.

docuit, A. cī cī xīxī Medicinae Doctor creatus, eandemque ibi professus, A. cī cī xviii, in Lusitaniam se recipiens, in urbe Ebora artem salutarem exercuit, † A. cī cī xxii, aet. XLIII. Coelebs uixit (a), connubii taedia uitans, quocum Musis perpetuum dissidium interesse, dictitabat. (b)

Georgius BVCHANANVS, in Leuonia, Scotiae prouincia, ad Blannum, amnem, ortus, Lutetiae Parisiorum, in literis, poetica in primis arte, tirociniis egregie positis, inter Gallorum copias, ut aliquam ex usu castrorum peritiam sibi compararet, uersatur, rediit ad Musas. Lutetiae literas humaniores primus est professus, ac deinceps Burdigallae, in Aquitanorum Gymnasio, unde in Lusitaniam abductus, Conimbricae iuuentuti erudiendae operam dedit. In Galliam redux Timoleonti Cassaeo, Caroli Brissoci, E. T. filio, sram addixit operam, in patriam uero reuersus, ad quinquennium, Pontificiorum

(a) Ren. Morean, in *Vita Brifoti*.

(b) Vid. Baylii *Dictionarium*, Buddeus, d.l., Lex. Erud.

ciorum religione cum Reformato-  
rum sacris commutata, Iacobo VI, re-  
ginae Mariae filio, praepositus fuit,  
tandemque † Edimburgi Scotorum,  
A. cīc 15 xxii, aet. LXXVI. (a)

DEMOCRITVS, Philosophus an-  
tiquus, Hegeſistrati, f. Athenocriti,  
f. Damasippi, filius, Abderites, uel  
Milesius, fuit, natus Olymp. LXXVII  
aut XXXC. Moritur autem (b) iuxta Her-  
mippum in hunc modum. Cum iam ex se-  
niori deficeret, et propinquus uideretur morti,  
moerentem sororem, quod, illo in celebrita-  
te Cereris morituro, bono animo esse, iussit,  
panesque calidos sibi quotidie afferre. Eos  
igitur naribus cum admouisset, uiuum se,  
donec ea celebritas transiret, seruauit. Vbi  
uero dies illi transferunt (tres autem erant)  
quietissime ac minimo dolore, conclusit ui-

A 3 tam,

- (a) *Vid. Vita eius, quam ipse confecit, Poematis eius praefixa, I. P. Lotichius, Biblioth. Poet. P. IV, p. 20, seqq., Freherus, Theatri Vi- rorum Erud. Clar., p. 1475, I. C. VVolfii Disp., de Carcere Erudit. Museo, p. 15, sq., G. VVageneri Disp. II, de Eruditis Militibus.*  
 (b) *Diog., Laertius, L.IX, Segm. 43. Conf. Thomae Stanleii Historia Philosoph., p. 585, seqq.*

*tam, ut Hipparchus ait, centesimo aetatis  
nono. Cur non matrimonium contra-  
ixerit, Clemens Alexandrinus (a) has  
refert causas, διὸ ταὶς ποιλαῖς ἐξ αὐτῶν  
αἰδίας κατερρόλιας απὸ τῶν ἀναγνωρέων.*

*Paulus FRANCVS, Besouiae, in  
Marchia Brandeb., natus, A. cīc 10 CXXI  
Poezeos, in Acad. Viadrina, Professor, †  
febri hectica, A. cīc 10 CXXVI, aet. XXXV.  
Coniugii (b) abstemius, ne alienis curis &  
rerum incundissimarum contemplatione men-  
tem abduceret, vel etiam, ut, quo loco laeti-  
tiam Poetarum haberet, ipsius honestae no-  
luptatis abstinentia, demonstraret. (c)*

*Galilaeus GALILAEI, Florentinus,  
filius naturalis, mathematicus sum-  
mus, Patauii, per annos duodeuin-  
ti, magno cum applausu, et stipendio  
aureorum octingentorum, mathesin  
docuit, inde, a magno Etruriae Duce,  
Ticinum vocatus, ut eandem ibi pro-  
fiteretur, ibique, salarii loco, cente-  
nos*

(a) Stromatum II, p. 481.

(b) I. C. Beccmanni Notitia Vniuers. Francof.,  
p. 166, sqq.

(c) Vid. Henn. VVittenius, Diarii Biograph. P, I,  
Lex. Erud.

nos singulis mensibus nummos argenteos magnos, quos laminas appellant, accepit. Ob Copernici opinionem, terram moueri, coelum stare, quam Vrbanus II<sup>X</sup>, Pontifex Romanus, damnabat, per quinquennium carceri inclusus, et, anno aetatis LX, reuocare fuit coactus. † A. circ 15 c XLII, aet. XXCIII, quorum (a) postremos, luminibus orbatus, in tenebris uixit, in uilla agri Florentini, cuius fines ne excederet, quae sitorum fidei sententia cautum fuerat, in poenam, quod, Sapientia ipsa, a qua a principio mundus constitutus est, sapientior esse, affectasset. (b)

Georgius GENTIVS, Damensis, ex principatu Saxo Querfurtensi, vir perquam doctus et  $\omega\lambda\gamma\lambda\omega\pi\lambda\gamma\lambda\sigma$ , cuius uita ex insequenti inscriptione, quae lapidi eius sepulchrali Fribergae Hermund. est insculpta, poterit cognosci.

Steh, lieber Leser, wer du bist,  
Vernimm, wer in dem Grabe ist,  
Es ist der Leib, der Seelen Haus,  
Die nun in Iesu Schoß ruht aus.

#### A 4

#### Eines

- (a) Iani Nicii Erytbraei Pinacotheca I, p. 281.
- (b) Vid. Hieron. Ghilini Theatrum Ital. Vir. Erudit., VVittenius, d. l. Freherus, d. l., p. 1536, Naudaeana, p. 20.

Eines unuergleichlichen Mannes und Churfürstl. Saechs. Raths, Herrn GEORGII  
**GENTII**, der zu Dame, A. 1510 c xix,  
 gebobren, und hier, A. 1510 c xxvii, uerstorben. Vortrefflich auf auswaertigen Uni-  
 uersitaeten, in Italien, Holl- und Engeland,  
 studiret, in und außerhalb Europa gereiset,  
 mit den groesten Haecuptern der VVelt, den  
 Roemischen, Turckischen, Keysern, Koenigen,  
 Chur und Fursten, geredet, theils Densel-  
 ben, als Dolmetscher und Rath, gedienet,  
 der zierlichen Lateinischen, alt und neu  
 Griechischen, Ebraeischen, Rabbinischen,  
 Thalmudischen, Chaldaeischen, Syrischen,  
 Arabischen, Persischen, Turckischen, Italiae-  
 nischen, Spanischen, Franzoesischen, Engli-  
 schen, Hollaendischen und Sclauonischen,  
 Sprachen, so maechtig, daß er sie geredet,  
 und aus denselben Bucher ubersetzt her-  
 aus gegeben, den Gelehrten Leuten seiner  
 Zeit bekannt. Der Orientalischen und Oc-  
 cidentalischen Historien, Rechte, Medicin,  
 Philosophie und Mathematic, wohl aber  
 auch in der VVelt uiel Vnglück, Lebens  
 Gefahr, und seiner Guter beraubung,  
 schmertzlich erfahren, in vielen Stucken un-  
 glücklich, doch darinne noch glücklich, daß  
 er hier bey seiner Kranckheit und unuer-  
 moeglig-

moeglichkeit , auch der Liebe der hiesigen  
Stadt Vaeter, die sie andern Gelehrten rubm-  
lich erwiesen, und durch deren Gutigkeit  
endlich dessen Leib an diesem Orte seine  
Ruhe gefunden , aber beyden zum Ruhm  
und Andencken dieses hin setzen lassen .

*M. Andreas Beyer, Prediger zu S. Nicolai,  
des seelig Verstorbenen guter Freund.* (a)

Huldericus GROSSIVS, Lipsiae , A.  
cīcīcī cv , lucem aspexit , in patria ,  
Schleusingensi et Misenensi , schola  
iactis studiorum fundamentis A. cīcīcī  
xxiii , Lipsiam rediit , triennio uero  
exacto, Rostochium adiit , ubi iuris et-  
iam studio , in patria , iam coepto , et  
Medicinae , operam dedit. Domum  
reuersus , Medicinam denuo excoluit ,  
nec studium Theologiae neglexit. Hinc  
orandis in foro causis animum appli-  
cuit , et tabellionis publici honorem  
est consecutus. Tum Iuliam adiit A-  
cademiam , et Chirurgiae incubuit , in  
eaque singularem sibi scientiam com-  
parauit. Tandem Lipsiae , in summa  
Electorali curia est Aduocatus Fisci  
constitutus , † A. cīcīcī LXXVII , aet.

A 5                    LXXI.

(a) Buddeus, d.l., in Append. , Lex. Erud.

**LXXI.** Ac, quoniam coelibem egit uitam, nullumque heredem reliquit, senatui patrio sua testamento legauit, ea tamen lege, ut de usuris indies magis magisque relictam sua Bibliotheca augeretur, id quod etiam esse factum, constat. (a)

*Vilelmus David HABERMANNVS, Rostochiensis, Medicinae Doctor, eiusdemque, ab A. circ 10 cc vi, in patria Professor, et Poliater, † A. circ 10 cc xv, cum Rectoris Academici, atque in ordine suo Decurionis, munere fungentur. (b)*

*Christophorus HARTCNOCHIVS, Passenhemio Prussus, celeberrimus rerum Prutenicarum scriptor, A. circ 10 cc LXXVII, in Gymnasio Toruniensi Professor est constitutus, et, post Ernesti Koenigii abitum, eiusdem quoque fuit Director, A. circ 10 xxvii Prorector designatus, † anno insequenti, aet. XLIII. (c)*

*Gusta-*  
(a) *Vid. Godofr. Christiani Goezii Progr., de Biblioth. Senat. Lips., p. 10, sqq., Bucher-Saal, Oefn. XII, p. 916, sq.*

(b) *Vid. Gelehrte Fama, P. XLV, p. 700, sq.*

(c) *Vid. VVittenius, d.l., Zerneccius, in Nucleo Histor. Toruniensis, p. 326, Praetorius, d. l., p. 215, sq.*

*Gustauus ab HELMFELD, L. Baro,*  
 Holmiensis, ab decimo aetatis suae anno , duodecim linguarum fuit gna-  
 rus , philosophiae quoque incubuit  
 et mathesi , in studio sacro puer de-  
 cennis, et quaerendo , et contradicen-  
 do, Synodum Naruensem omnem fa-  
 tigauit pariter , et eidem oblecta-  
 mento fuit. Anno aetatis xix , Lu-  
 gduniB. , de *Occupatione*, cum doctorum  
 plausu, habuit disputationem , atque ,  
 cum commoraretur in Anglia, Socie-  
 tati Regiae ascriptus, anno aetatis xix ,  
 Gothorum Regis consiliarius, et tribuna-  
 lis Vismariensis Assessor, est constitutus,  
 † Torunii Prussorum, A. cīcīc lxxiii.

(a)

*Henricus Christophorus IANVS, Ron-*  
*neburgo Hannoueranus, A. cīcīc lv,*  
 natus, A. cīcīc lxxii , aetatis xvii ,  
 studia , in schola Goettingensi copta ,  
 continuaturus , in Academiam fese Iu-  
 liam recepit, atque , ex itinere tandem  
 Batauo

(a) *Vid. D. Goezii Elogia Praecocium quorun-*  
*dam Eruditorum aliorumque Virorum do-*  
*ctorum, p. 2, sqq., Vinc. Paravicini Singu-*  
*laria, de Viris , eruditione claris , p. 178 ,*  
*Nova Lit. Germ., A. 1704, p. 95.*

Batauo redux, eodem A. c*1610*c*xxciii*,  
professor Eloquentiae est uocatus, †  
anno insequenti , aet. xxx. (a)

*Christiannus Fridericus KNORRIVS,*  
Osterodae,in Cheruscis,A.c*1610*x*lvi*,or-  
tus,studiorum cursu in Academia Rin-  
telensi et Salana confecto, in Galliam,  
Belgium Britanniamque, est profectus,  
atque absens Osterodanus Antistes uo-  
catus. Redux ex itinere , A. c*1610*LXXVI,  
antea , quam muneris sacri caperet  
primordia , in Academia Iulia, pro Li-  
centia summos in Theologia honores  
impetrandi , habuit disputationem.  
Hinc Pr. Electoris Brunsuico Luna-  
burgici Confiliarius in sacris , et princi-  
patus Grubenhagici Ephorus prima-  
rius , templi cum arce coniuncti ad D.  
Iacobi, Osterodae , sacerdos, ministerii  
item senior , est constitutus, † A. c*1610*  
cc*iii*, annum ingressus LIX. *A libris ,*  
(b) *quantum per officii sui grauissimi par-*  
*tes licuit, se nunquam fere auelli, permit-*  
*tebat, a re uxoria et cura domestica alic-*  
*nus ,*

(a) *Progr. Fun., Iusti Christoph. Boehmeri In-*  
*script. Sepulchrales Helmstadienses , pag. 129 ,*  
*sq.*

(b) *Noua Liter. Germ., A. 1705 , p. 230.*

*nus, quippe qui uitam in perpetuo coelibatu peregit.*

*Immanuel KVHNIVS, Colberga Pomeranus, A. cīcīccīx, Scholae Ioanneae, apud Gedanenses, Rector, † peste, anno insequenti, prid. Cal. Aprilis, aet. xxxvii. (a)*

*Ioannes LANGIVS, Leorinus Silesius, A. cīcīccccīx ortus, A. cīcīccīx Lipsiae Philosoph. Magister est creatus, ibique Professor constitutus, munere hoc relicto, in Italiā fecit iter, et, A. cīcīccīxxii, summos in arte salutari honores impetravit, redux in Germaniam, Pr. El. Heidelbergensis, Ludouici, Friderici II, Ottonis et Friderici III, Archiater est factus. (b)*

*Daniel Theodosius LEHMANNVS, Annaebergae, in Misnia, A. cīcīccīxvi, xiii Cal. April., natus, A. cīcīccīii, studi-*

(a) *Vid Praetorius, d. l., p. 182.*

(b) *Vid. M. Adamus, Vit. Medic., p. 140, seqq., Andr.*

*Quenstadius, in Dialogo, de Patriis illustri- um Virorum, p. 192, Henelius, in Silegia Toga- tata, apud Fibigerum ad Henelii Silesiogr. Renou. c. 7, p. 252, sq., I. C. Eberti Leorinum Erudit. p. 31, sq.*

studiorum causa, Vittembergam adiit, ibique, A. cīcīccvī, summos in sapientiae studio honores impetravit, A. cīcīccx, Philosophorum Ordini Ascriptus, A. cīcīccxii, Professor Philosophiae extraordin., A. uero in sequente ordinarius, est constitutus, † Anno cīcīccxv, xi Cal. Martias, aetatis fere xxix. Refert cl. M. Theoph. Grabnerus, (a) eum, paucis ante obitum suum mensibus, ipsi, de uxore ducenda, interroganti, respondisse, *Vxorem se nunquam ducturum esse, quoniam, imminere sibi mortem, praeuideret.* Monumentum ei sequens positum fuit.

*Pſ. cxix, Non moriar, sed uiuam, u. xvii.*

D. O. M

*V. C. Davidi Theodosio LEHMANNO,*  
*Annaebergae, xiii Kal. April., 1706 lxxxvi,*  
*nato, atque, ab anno aetatis undecimo, Fri-*  
*bergae liberaliter educto, qui indole huma-*  
*na ac proba, ingenio alacri et doctrinae cu-*  
*iuslibet capaci, iucundis moribus, religione*  
*in Deum, pietate in parentes et aequales,*  
*facile inuenit laudem et amicos, inque illu-*  
*stri hac Academia, in qua ciuitatem adeptus*  
*est, mense Octobr., 1733, pertinaci in-*  
*dustria,*

(a) In Vita eius, p. 88. Conf. p. 151.

dustria, ex imo discentium cauea, per uarios honorum gradus ad Orchestrām enīsus, primum extra ordinem Profess. Philosoph.  $\infty$  1700 xii, mense Februario, iussus, ac deinde  $\infty$  1700 xiii, mense Ianuario, Poeseos Prof. Ordinarius constitutus est, nulla sibi, dum uixit, sorte infelicior, quam, cum matrem optimam, Annam Rosinam Coleram,  $\infty$  1700 cxi, mense Sextili, efferret, nec patri unquam doloris causa factus, nisi, cum in ipsis horum initiis, ingeniique ac aetatis flore, morte praematura interceptus.  $\infty$  1700 xxv, xi Cal. Mart., obiit, longiori uita dignus, nisi uita haec ipse mors, mors uitae initium, fuisset. Filio desideratissimo

M. P.

*Christianus Lebmannus, S. Theol. Doct., Past.  
et Superintend. Frib., superstes pater. (a)*

*Nicolaus LEONICENVS, Vincentinus, Orator, Philosophus, Medicus, uir ad aeternitatem natus, quem ego, scribit Erasmus (b) ultimum heroum et aurei seculi reliquias appellabam, Medicinam Ferrariae, per lx annos et amplius, publice docuit, primus quoque fuit, qui Galeni*

B Opera

(a) Lexici Eruditii Appendix, Neue Zeitungen  
A. 1716, p. 8.

(b) Epp. XX, 54.

Opera Latinitate donavit, notisque il-  
lustrauit, † A. C. 13 13 XXIII, aetatis XCVI.  
*Cibi et uini*, inquit Iouius, (a) maxime  
*abstinens*, somnique minimi, praesertim  
*uero Veneris continentissimus*, usque adeo  
*mollioris uitae uoluptates abdicauit*, pecu-  
*nias, luxuriae instrumenta*, nec agnita qui-  
*dem monetae nota*, contemneret, oblatum et  
*nulla delectum cura cibum caperet*, nec un-  
*quam de fortuna quereretur*, quod unam  
*uir acutus studiorum laudem respiceret*, nec  
*opportuna mediocris uitae subsidia*, benigni-  
*tate Ferrariensem principum*, *Herculis*,  
*Alphonsique filii*, *sibi defutura*, prospiceret.  
-- Cum ego, pergit Iouius (b), aliquando  
*comiter ab eo peterem*, ut *ingenue proferret*,  
*quoniam arcano artis uteatur*, ut tanto  
*corporis atque animi uigore uitia senectu-*  
*tis eluderet*, *Viuidum*, inquit, *ingenium*,  
*perpetua uitae innocentia*, *salubre uero*  
*corpus*, *hilari frugalitatis praesidio*, facile  
*themur.* (c)

Ioannes LIMNAEVS, Ienae, in Tu-  
ringia, A. C. 13 13 XCII, ortus, studiis in  
patria,

(a) P. Iouii Elogia Doct. Virorum, p. m. 162.

(b) d. l., p. 163.

(c) Vid. Freherus, d. l., p. 1220, Paravicinus,  
d. l., p. 2, 49, Buddeus, d. l.

patria, et Academia Altorfina, ad finem perductis, in Italiam, Galliam, Angliam, Hollandiam, iter fecit, redux autem, a Vilelmo, Saxonum Duce, index militaris est constitutus, deinde I. V. Doctor, et Marchioni Brandenburgico, Alberto, a consiliis sanctoribus et Anspacensis Camerarius, † A. cīcīcī LXXV, aetatis LXXXIII. (a)

S. LVCAS, Antiochenus olim Medicus, cuius etiam de arte pingendi multae narrantur fabulae, a diuo Paulo, cui quoque postea in itinere perpetuus affuit comes, dum Antiochiae fuit, uidetur ad Christianum coetum perductus. † A. C., ut quidam uolunt, LXX, aetatis XXCIII, quo autem mortis genere, non liquet. (b)

Antonius MAGLIABECHIUS, Florentinus, A. cīcīcī XXXIII ortus, magni Etruriae Ducis Bibliothecae praefectus,

(a) Vid. VVittenius, d. l., Buddeus, d. l., Lex. Erud., Antiuort Schreiben auf etliche Fragstücke eines Gelehrten Edelmanns, uuelcher in einer Preussischen Prouinz wohnet, p. 192.

(b) Vid. Vil. Cauei Hist. Liter. Script. Eccles. p. 17.

fectus, † A. dicitur ccclxxiiii, aet. xxx.

(4)

Iason MAINVS, Mediolanensis, ex  
pellice procreatus, iura Ticini, ubi ter  
mille auditores habuisse fertur, Pa-  
tauuii, Pifis, magna auditorum fre-  
quentia, docuit, Romae ab R. Impe-  
ratore equitis et com. Palatini honore  
affectus, a duce item Mediolanensi  
consiliarius est constitutus, atque a Lu-  
donico XII, Gall. rege, arcem Piope-  
ram, quaedam item praedia, dono ac-  
cepit. Patauium, A. cīc cccc xxvii,  
uocabatur, ubi, et si, loco salarii, mille  
ipſi ducati soluerentur, cum antece-  
ſores eius uix ducentos, trecentosue,  
accepiffent, eo tamen ſtipendio con-  
tentus non fuit, sed auctarium ſemel  
iterumque postulauit, cui desiderio  
cum ſatisfacere amplius nollent, annis  
tribus praeterlapsis, Pifas demigrauit.  
† Papiae, A. aet. xxviii, relicto notho.  
Me audiente, inquit Iouius (b), interro-  
gatus a Ludonico, Gallorum rege, cur nun-  
quam duxiffet uxorem, ut, te commendan-

(a) *Vid. Acta Erudit. A. 1714, p. 534, sq., Lex.*  
*Erud.*

(b) *d.l., p. 154.*

te, inquit, Iulius, Pontifex, ad purpureum  
galerum gestandum, me habilem, sciat.  
Audiuerait enim, honoris causa, eo die, au-  
rata in toga profitentem rex ipse, quinque  
cardinalibus et centum proceribus subsellia  
implentibus, cum, Genua sabacta, de Ligu-  
ribus triumphasset. Ea enim lectione digni-  
tatem equestrem, ob spectatum in acie faci-  
nus, de manu regis traditam, accendenda  
virtutis ergo, ad posteros manare, diffini-  
uit. Nimia librorum lectione, quam  
saepe ad lucernam, clausis fenestris,  
usque ad meridiem continuare solebat,  
oculis paene priuabatur, adeo, ut, per  
annum, munere sibi concredito, fungi  
haud posset. Pro responsis et libellis,  
quos vocant, magnum postulabat pre-  
mium, ita, ut saepe L uel C ducatos  
caperet, sed, ut Iouius ait, consultori-  
bus pretio grauis uideri poterat, nisi, pecu-  
niam acceptam, si causa decidissent, libe-  
rali pactione, se continuo redditurum, pro-  
fiteretur. Idem de eo haec refert. (a)  
Missus Ticinum, ad ius ciuile perdiscendum,  
primo anno ita ingenium ad uitia, illam-  
que supra cetera pestilentem aleam, defle-  
xit, ut cum hospite decoqueret, et iuris co-

B 3 dicem,

(a) d. l., p. 153.

dicem, in membranis scriptum, magno emptum pretio, foeneratori tradere cogeretur, ipse uero demum sordida in toga, capite tonso, quod id tinea deformis obsideret, ridiculus uideretur. Sed mature et peracerbe castigatus, se ipsum collegit, bonaque frugis personam nequaquam mentitus, tanta contentione in studiis disputationibusque sese exercuit, ut doctores ipsi, aequalisque iuuentus, eum adeo celeriter atque feliciter profecisse, mirarentur.

Petrus de MASTRICHT, Coloniae A. ~~cic~~ <sup>cic</sup> xxx, mense Nouembri, lucem aspexit, coetui sacro Sontensi, prope Vesalam, utilem praestitit operam, deinde sacris Glucstadiensium praefectus, tum Hebraeae linguae ordin., et Theol. extraord., A. ~~cic~~ <sup>cic</sup> lxxii, in Academia propter Viadrum, factus est Professor. Anno insequente Duisburgi Philosoph. et Theol. Doctor creatus, ibidem, A. ~~cic~~ <sup>cic</sup> lxx, Professor constitutus est Theol. et una Sacerdos, post septennium autem, A. ~~cic~~ <sup>cic</sup> c lxvii, Traiecti ad Rhenum, Theologiae provinciam nactus. A. ~~cic~~ <sup>cic</sup> c vi, propri die Cal. Febr., uestertino tempore, per gradus lapideos in culinam descendens,

dens, repento casu in paumentum delapsus, † die x Febr., aet. LXX VI, coelibatu caste semper (a) et ubique transacto, non modo sine crimine, sed criminis suspicione, quotidianisque pietatis exercitiis tam religiose obseruatis, ut minus neglexerit, quam nocturnam quietem, prandium, aut coenam frugalem.

Robertus MVRREY, Scotus, pri-  
mum sub Ludouico XIII, Galliarum re-  
ge, Legatus, deinde in Scotia, aduersus Carolum I, Imperator, tum Caro-  
lo II a sanctioribus consiliis, quem in-  
stigabat, ut Societatem Regiam, cuius  
omnium quoque primus fuit praeses,  
fundaret. Fuit de reliquo Mathema-  
ticus, Chymicus, Rosencrucianorum  
patronus, sexus feminine hostis, † A.  
CIC 15 CLXXIII. (b)

Daniel NESSELIVS, Vlzena Lu-  
naeburgicus, Vindobonae primum,  
ubi quoque ad Pontificiorum transiit  
castra, in legationibus fuit a secretis,  
deinde, A. CIC 15 CLXXIX, Lambecio  
B 4 de-

(a) Beccmannus, d. l., p. 175. Conf. Henr. Pontani  
Laudatio funebris, in eius obitum habita, et  
Ultraiecti edita, A. 1706.

(b) Lex. Erud.

defuncto, Bibliothecae Caesareae praefectus, a Leopoldo etiam, Imperatore, inter nobiles et consiliarios receptus, † A. cīcīcc. (a)

*Henricus NICOLAI*, Gedani, Anno cīcīcīv, natus, A. cīcīcīxxx, in Gymnasio patrio, Logices et Metaphysices prouinciam est nactus, cui quidem muneri ita praefuit, ut ei honores in Theologia summi, et a Georgio Vilelmo, Pr. El. Brandenburgico, et a Georgio, Hassiae Comite, offerrerentur, quos tamen, ut fertur, recusauit. A. cīcīcīii, ob inobedientiam erga senatum, ab sparta remotus, in Gymn. Elbingensi Theol. et Philos. Professor honorarius evasit, paulloque post, ut Pr. El. Brand. esset a consiliis sacris, vocatus A. cīcīcīlix, in patriam rediit, agnitisque in doctrina erroribus, † ibidem, A. cīcīcīlx, aet. lvi. Cum Elbingae, anno aetatis lii, in eo esset, ut nuptias cum uirgine quadam celebraret, sponsa, die nuptiis sacro, posito speculo, in ornando comandoque esset occupata,

uel

(a) *Vid. I. G. Eccardi Monatliche Auszuge, A. 1700, p. 332, Ern. Vil. Tenzelii Colloq. Menstr. A. 1693, p. 206, sq., Clarmundus, in Visitis, P. V, p. 147, sqq.*

uel peste , uel febri petechiali , obiit , ut  
ipse Nicolai , in prooemio , quod Godofr.  
Zamelii Tumulo Hymenaei praefixit ,  
refert . ( a )

*Ioannes NICOLAI* , Ilmensis , ex co-  
mitatu , Suarzburgico , studiis , in Ie-  
nensi , Lipsiensi , Helmstadiensi , Mar-  
purgensi et Gissensi , Academia absolu-  
tis , Tubingam ad professionem An-  
tiquitatum est uocatus , † A. c. 1500  
lxx , aet. lv . ( b )

*Blasius Franciscus , Comes de PAGAN* ,  
in Prouincia Gallorum , A. c. 1500 c miii ,  
natus , celebris in Gallia dux et mathe-  
maticus , ab anno aetatis duodeci-  
mo iam castra secutus , multis in  
proeliis fortiter se gessit , uariosque  
libros , sermone patrio confecit . In  
pugna quadam orbatus oculo est , ac  
deinceps omnem plane uisum amisit ,  
† A. c. 1515 . ( c )

### B 5

### Blasius

- ( a ) *Vid. VVittenius , in Memoriis Philosoph.*  
*Dec. VII , p. 379 , Godofr. Arnoldus , in der*  
*Kezer Hist. III , 12 , p. 120 , Praetorius , d.l. ,*  
*p. 80 , sqq. , I. Micraelius , H. E. , p. 1306 , sqq.*
- ( b ) *Noua Liter. Germ. , A. 1709 , Lex. Erudit.*
- ( c ) *Buddeus , d.l.*

Blasius PASCALIS, Gallus, Monturgiensis nobilis, cuius uitam ex sequenti eius epitaphio uidere licebit. B. PASCALIS, scutarius nobilis, hic iacet. Pietas, si non moritur, aeternum uiuet. Vir coniugii nescius, religione sanctus, uirute clarus, doctrina celebris, ingenio acutus, sanguine et animo pariter illustris. Doctus, non Doctor. Aequitatis amator, ueritatis defensor, uirginum ulti, Christianae mortalitatis corruptorum acerrimus hostis. Hunc rhetores amant facundissimum, hunc scriptores norunt elegantem, hunc mathematici stupent profundum, hunc philosophi quaerunt sapientem, hunc Doctores laudant theologum, hunc pii uenerantur austерum, hunc omnes mirantur, omnibus ignotum, omnibus licet notum. Quid plura, uiator, quem perdidimus Pascalem, is Ludouicus erat Montaltius. Heu, satis dixi, urgent lacrymae, sileo. Et, qui bene precaberis, bene tibi eueniatur, et uiuo, et mortuo. Vixit annos xxxix, m. II. Obiit A. R. S. c. 13 10 c Lxii, xiii Cal. Sept. ολετο Πασκαλιος, Φευ, Φευ, τενθος οσον. Cecidit Paschal, heu! heu! qualis luctus! Posuit A. P. D. C. moerens Aurelian. Canonista. (a)

Iaco-

(a) Vid. VVittenius, d.l., Baylius, d.l.

*Iacobus PERIZONIVS, Damo Groe-*  
*ningensis, in Academia primum Fra-*  
*nequerana Historiarum et Eloquen-*  
*tiae, deinde uero, in Lugunensi B.*  
*Historiarum, Eloquentiae et Graec.*  
*Literarum, doctor publicus, † ibidem,*  
*A. c. 1710 CCXV, aetatis LXIII. Tanto (a)*  
*quamque eximio amore per totam uitam li-*  
*terarum studia dilexit, ut propterea coeli-*  
*batum eligeret, et literariam solitudinem*  
*inquieto mulieris consortio anteferret. In*  
*ultimis, quas reliquerat, uoluntatis suae*  
*tabulis inter alia praecepit, ut, ex 20000 flo-*  
*renorum redditibus, studiosorum elegantiorum*  
*literarum par, per septem annos, aleretur.*  
*Codices manu exaratos Bibliothecae publicae*  
*legavit, quae et ceteris rarioribus libris il-*  
*los adiunxit, et in rei memoriam locum,*  
*ubi illi asseruantur, imagine Perizonii ex-*  
*ornauit. Quamuis itaque nullis liberis ge-*  
*nus suum ad posteros propagauit, in libris*  
*tamen uiuit, quibus magnam sibi nominis*  
*gloriam acquisiuit. (b)*

*Aulus*

(a) *Acta Erudit. A. 1716, p. 95, sq.*

(b) *Vid. Histoire de la République des Lettres,*  
*T. IX, p. 412, ubi de Perizonii coelibe uita*  
*haec referuntur, Nous ne devons pas oublier*  
*d' ajouter, qu' il a touours uecu dans le*

*Aulus PERSIVS Flaccus*, Volaterranus, eques, poeta, satyrarum item conditor seuerus, † A. C. LXII, aetatis XXIX, sub Nerone. *Probis moribus fuit (a) et egregia uitiae integritate.* Quocirca continere se non potuit, quin ipsum quoque Neronem, eiusque iniquissima flagitia liberius accusaret, ut qui sub Midae, regis, nomine illum irriserit, satyrica quadam urbanitate. Sed, monente Cornuto, carmen immutauit. (b)

*Ioannes Vincentius PINELLVS*, Genuensis, Neapolim est patriam sortitus, vir (c) maximi nominis, philologus, poly-

célibat, crainte, sans doute, que s' il prenoit quelque engagement, il ne fut souvent détourné, arrêté dans le cours de ses études, par les soins si fréquens, que demande une famille. *Neue Zeitungen*, A. 1715, p. 172, sqq., Lex. Erud. Append.

(a) *Crinitus, de Poetis Latinis*, III, 56.

(b) *Vid. Suetonius, in Vitis illustr. Grammat. et Rhet.*, Lilius Greg. Gyraldus, OO. T. II, p. 235, Ger. Io. Vossius, *de Poetis Latinis*, p. 41, Io. Alb. Fabricius, *Biblioth. Lat.* pag. 354, M. Georgius Nicol. Kriegk, *in Disp. de Persio*, Ienae, A. 1701, hab.

(c) *Morhofius, Polyb. I, 1, 19, 19.*

*polyhistor*, eximus, magnorum in literas  
et literatos meritorum, quos fuit, ornauit,  
ope consilioque iunxit. † A. cīcīcī, aet. LIX.  
(a)

*Christianus Henricus POSTELLVS*,  
Friburgi, in Ducatu Bremensi, A. cīcī  
LIX, ortus, Rostochii, A. cīcī  
XXCIII, I. V. Lic. factus, in literis, quae  
ad humanitatem spectant, uersatissi-  
mus fuit, linguas item, sigillatim Grae-  
cam, Latinam, Teutonicam, Galli-  
cam, Etruscam, Hispanicam, Lusita-  
nam, Anglicam, Belgicam, calluit,  
Galliamque, Angliam et Belgium, per-  
agrauit, † Hamburgi, A. cīcī  
CCV, aet. LIII. Coniugem (b) nunquam duxit,  
sed tempus omne, a negotiorum forensium  
tractatione reliquum, libris impendit, ua-  
riaque ingenia monumenta edidit. (c)

*Beatus*

(a) *Vid. Paulus Gualdus*, in *Vita Pinelli*, quae  
in *Vitis Select.* quorundam eruditiss. ac illustr.  
uirorum, *Vratislaviae*, A. 1711, in 8, editis,  
p. 295, sqq., extat, *P. Gassendi Vita Nic.*  
*Claud. Peirescii*, p. 30, *VVittenius*, d.l.

(b) *Noua Lit. Germ.*, A. 1705, p. 280, ubi etiam  
uocatur literator, inter summos summō iure  
referendus.

(c) *Vid. Lex. Erud.*

*Beatus, s. Bildius, RHENANVS, Sele-  
stadii, in Alsatis, A. c. 1500 CCCXCV,  
natus, vir, teste Thuano (a) in huma-  
nioribus literis, antiquitate et pia doctri-  
na, exercitatissimus, ingenio mitis, etc. †  
Argentorati, A. c. 1510 XLVII, aet. LXII.  
Vixit (b) in patria tranquillissime, et, ut  
ita posset perseverare, a Carolo, Caesare,  
privilegium ciuilium uacationum obtinuit,  
quo liber in patria esset a senatoriis et fo-  
rensis laboribus. Mansit quoque in coe-  
libatu, quod in ea uita minor sit solicitude  
et molestia. Vixit, dum uixit, absque ullo  
maleficio, ullaue iniuria, uixit temperan-  
ter et uitam plane philosophicam. -- Paucis  
ante uitae finem annis Annam Brunoni-  
am, uiduam, sibi despondit, mulierem bo-  
nae existimationis, quod senectus frigida  
vesicae dolorem quodammodo sedasset. Ve-  
rum, cum ille mox recrudesceret, nuptias  
solennes distulit, et, morte praeuentus, non  
celebrauit. Idcirco Medicorum consilio,  
postquam curari non potuit, ad Badenses  
balneas profectus est, sed in iis non alleua-  
tio*

(a) ad A. 1547.

(b) Henr. Pantaleonis Prosopograph. P. II, p. 123,  
sqq.

tio morbi, uerum tanta exacerbatio, extitit, ut, inde Argentoratum deportatus, impatiens, propter imbecillitatem, uectionis, ibi diem suum clauserit. -- Quanquam uero octo millium aureorum, Argentinensis existimationis, in bonis haberet, tamen morte praeuentus, intestatus decessit, nisi quod Bibliotheca, Rudolphi, famuli, testimonio, senatus et ciuibus Selestantianis legata fuerat. Cadaver autem Argentorato Selestantium asportatum fuit, ut patriae, a qua animum acceperat, etiam corpus restitueretur, ubi etiam doctissimus ciuis, omnium bonorum luctu, summo honore, sepultus fuit. Ob nimiam eius auaritiam, de eo quidam dicere consueuerunt, Beatus est beatus, sed sibi soli.

Ioannes RHODIVS, Hafniensis, artis salutaris Doctor, huius et (a) literarum paene omnium, seueriorum atque elegantiorum, peritia admirabili, et ingenii iudicique acumine, clauditatis, qua laborabat, uitium abunde rependit. A. CICIC XXIII Patauium adiit, ibique priuatam, ad mortem usque, egit uitam. Nam, quam-

uis

(a) Tb. Bartholinus, de Morbis Biblieis, p. 4.  
Conf. Io. Moller i ad Alberti Bartholini L., de scriptis Danorum Hypomnemata, p. 300, sqq.

uis A. c<sup>15</sup> 10 c xxxi, in eadem Academia Botanices prouinciam, cum horti Medici praefectura coniunctam, deinceps in patria Physicam, nancisceretur, haec tamen munia postposuit uitae priuatae, † A. c<sup>15</sup> 10 c lix, aet. LXXII.  
(a)

*Ioannes RODENBORCH*, siue *Rodenburgius*, Antuerpianus, defuncto fatis Frider. Taubmanno, A. c<sup>15</sup> 10 c xiii, in Poeseos prouincia, Vittembergae successit, A. c<sup>15</sup> 10 c xv, Dantiscum, ad Gymnasii Proreectoris et Theol. Professoris munus obeundum, adiit, inse-  
cuta uero corporis animique infirmi-  
tate, A. c<sup>15</sup> 10 c xvii, Gryphibergam  
Pomeranorum petiit, ubi, apud soro-  
rem, paullo post †, anno aet. XLV,  
ultimus familiae Rhodemburgianae.  
(b)

Janus

(a) *Vid. VVittenius, d. l., Tomasini Gymn.*  
*Patau., I, 34, p. 89, et III, 14, p. 305.*

(b) *Praetorius, d. l., p. 62, sq., ubi etiam scribit,*  
*eum Vittembergae summos in theologia ho-*  
*nores assumpisse, cuius tamen nomen neque*  
*in D. Godofr. Sueui Vittemberga, neque in*  
*Andr. Sennerti Athenis Vittemberg., inter*  
*illos, qui ab Academiae conditu, Doctores et*

*Ianus Victor ROSCIVS, aliter Janus Ni-  
cius Erythraeus Rmo., nobilis, uir doctus  
scriptisque clarus, initio in Perreti,  
purpurati, domo uiuebat, hoc autem  
defuncto, sibi soli uiuere cupiens, ua-  
le aulae dicto, locum a turba remotum  
studiisque aptum eligebat, † Romae,  
A. cīcī cīcī XLVII, septuagenario ma-  
ior. (a)*

*Ioannes SCHVLZIVS, Lubena  
Lusatus, A. cīcī cīcī CCIX, in patria scho-  
la, et, A. in sequenti, Budissinae, Re-  
ctor est constitutus, † A. cīcī cīcī XI,  
aet. xxxvi. (b)*

*Constantinus SCHVTZIVS, Gedan-  
nenfis, A. cīcī cīcī LXXVI, ad munus sa-  
crum, in insula Stublauensi, ad aedem,*

C                    quae

*Lic. creati sunt, reperire non licet. Quid,  
quod, a Nicol. Rothamelio, L. III. ua-  
riorum Carminum Medic. Lic. nominatur.  
Conf. Hartnochius, Hist. Eccl. Pruss. p. 790.*

(a) *Vid. Elogium, Pinacothecae praefixum, Nau-  
daearia, p. 12.*

(b) *Sam. Grosserus, in Lausitzischen Merck-  
vvurdigkeiten, P. IIII, p. 119, sq., et ex eo  
autores Lex. Eruditi, referunt, eum in pa-  
tria quoque fuisse Prorectorem, quod tamen  
falsum.*

quae appellatur Gros-Zunder, obeundum, A.  $\text{c} \text{r} \text{o}$   $10$  c  $xxc$ , Diaconus ad D. Catharinae, atque, eodem anno, Pastor ad D. Marianam aedem, in patriam reuocatus, † A.  $\text{c} \text{r} \text{o}$   $10$  c  $xii$ , aet. LXV, muneris xxxv. Ob lites, quas cum diuo D. Samuele Scheluigio habuit, satis notus. (a)

*Caspar SCIOPPIVS*, Neagora Palatinus, uir alioqui doctissimus, sed maladicentissimi oris, et, quoniam nemini suorum temporum literato peperit, merito literatus canis appellatus. In Rom. quidem Imperatoris aula emergere cupiebat, et titulum quoque Patricii Romani, Equitis D. Petri, Consiliarii Hispan., Comitis Palatini, Comitis de Clara Valle, obtinebat, nihilo tamen ditione fiebat. A.  $\text{c} \text{r} \text{o}$   $10$  xcix religionem Lutheranam cum Pontif. commutauit, pluraque scripta reliquit, quam annos uitae numerauit, † Patauii, A.  $\text{c} \text{r} \text{o}$   $10$  c  $lxiii$ , octogenario maior. (b)

*Adamus*

(a) *Vid. M. Andr. Charitii, de Eruditis Gedani ortis, p. 130, sqq., Lex Erud.*

(b) *Freherus, d.l., p. 775, VVittenius, d.l., I. Imperialis Museum Histor., cum L. Allatii Apibus*

*Adamus de SEBISCH*, Vratislavia Silesius, A. c. 13 c x, ortus, praefidii oppidanii, in patria Centurio, rei tormentariae Praefectus, confecit Vitam Reichelii, purpurati, quae adhuc in MS., cum tota eius relicta Bibliotheca, ibidem, in Biblioth. Elisabetana, extat. † A. c. 13 c xxciix, aet. lxxix. (a)

*Ioannes Fridericus*, S. R. I. Comes a SEILERN, Rom. Imperatori a consiliis sanctoribus, et sumimus aulae Cancelarius, † Vindobonae, A. c. 13 c xv, aet. lxx. (b)

*Leobardus SIRICHIUS*, Patauiinus, Francisci Petrarchae institutione usus, eidem ita gratus acceptusque, ut quoque ab eo heres, inter alios, scribentur, † A. c. 13 ccccc xc. *Coniugii* (c) molestias ut subterfugeret, perpetuo coelibatu*m* addictus, pro liberis, literis operam liberi*us* dedit.

G 2 TA

*Urbanis*, Hamb. A. 1711, editum, p. 214, *Clar-*  
*mundus*, d. l., P. IX, p. 105, sqq.

(a) Lex. Erudit.

(b) *Nova Lips.* p. 373.

(c) *M. Hankins, de Scriptoribus Romanis*, P. I,  
203.

**TATIANVS**, Syrus, Iustini Martyris, discipulus, initio ueram de Deo doctrinam professus, postea uero in magnos prolapsus errores, nouam haeresin Encratitarum condidit, ob abstinentiam a nuptiis, carne et uino, quam profitebantur, ita dictorum. Inter alia quoque dicebant Encratitae, nuptias fere nihil a fornicationibus distare. (a)

**Elias TAVDIVS**, Regiomonte Prusius, A. **circa** **1500** LXXI, mense Augusto, Gymnasi Toruniensis Professor, † A. **circa** **1530** LXXVI, M. Augusto. (b)

**Ioannes THEODORI**, F. S. R. M. Hafniae, A. **circa** **1510** c xxx, natus, in collegio cancellariae et illuistris Guldenloewii, per annos xxix, a Secretis, vir doctissimus, qui multis legationibus, ut secretarius, praefuit, † Hafniae, A. **circa** **1540** c XCIX, aet. fere LXIX. In pauperes

(a) *Augustinus, haeret. 25, Clemens Alexandr. Stromat. L. VII, P. Stockmanni Elucidarina Haeresium, aliisque plures.*

(b) *Praetorius, d. l., p. 215.*

peres (c) lautas omnino summas liberaliter erogauit, quod coelibem uitam duxerat, et heredes eius, satis locupletes, non indigerint. Rerum naturalium et numismatum rariorum pulcherrimum museum collegerat et ditissimum, quod celsissimo suo domino Guldenloeuio legatum esse uoluit, in sui memoriam.

*Ioannes VALDESIVS, eques Hispanus, IC. non incelebris, religionem in Neapolitano regno uolebat repurgare. Fertur enim, in itinere, quod in Germaniam fecit, Lutheri doctrinam imbibisse, et, reuersum in patriam, non nulos Lutheri, Buceri et Anabaptistarum, libros secum tulisse, et, more Lutheranorum coetus, conuentus, priuatos intra parietes, instituisse. P. Martyr, Bernardinus Ochinus, ac quaedam non infimae sortis feminae, cum eo consentiebant, sed quaestio Hispanica illis erat impedimento. Minime uero per omnia cum Lutheranis fecit, cum primis in do-*

C 3ctrina,

(a) *Noua Liter. Maris Balt. A. 1698, p. 79.*

ctrina, de S. Triade, eaque de causa  
ab Vnitiariis inter suos numeratur  
Valdesius, † Neapoli, A. c<sup>o</sup> 15 LV. (a)

*Michael VERINVS, Hugolini fi-  
lius, poeta iuuenilis, † anno aetatis  
xvii, uaria reliquit carmina, de qui-  
bus tale extat dīsychov,*

*Disticha composuit, docto miranda  
parenti,*

*Quae claudunt gyro grandia sensa  
breui.*

Continentiae adeo fuit deditus, ut Me-  
dicis, ad coniugium, spe proposita sa-  
lutis, solicitantibus, audiens non fuerit,  
et mortem, raro exemplo, praetule-  
rit castitati. Hinc Angelus Politianus  
ita de eo cecinit, (b)

*Sola Venus poterat, lento succurrere morbo.*

*Ne se pollueret, maluit ipse mori.*

*Philip-*

(a) Antonii Biblioth. Hisp. Noua, Buddeus,  
d. I.

(b) Koenigii Biblioth. R. et N., Scaliger de re  
Poet., p. 791, Buddeus, d. I., Lex. Erud.

*Philippus Jacobus VV ALSCHMI-*  
*DIVS, Moeno Francofuranus, Medi-*  
*cinae Doctor et Practicus, † A. cīcīcī*  
*xxcvi, aet. XLIX. (a)*

*Daniel VV HITHEAD, Theo-*  
*logus Anglus, sub imperio Mariae,*  
*reginae, Francofurti commoraba-*  
*tur, sed, tempore Elisabetae, do-*  
*mum reuersus, ex singulari eius gra-*  
*tia, ipsi Archiepiscopatus Cantuarien-*  
*sis, et, alio tempore, Xenodochii pro-*  
*pe VWestmonasterium praefectura,*  
*offerebatur, quem tamen honorem*  
*modeste recusauit. Eam ob causam*  
*vero tanta apud reginam fuisse in*  
*gratia fertur, quod semper coelibem age-*  
*ret uitam, et aliqui sacerdotes, in*  
*matrimonio uiuentes, fere nihil aesti-*  
*mare consueuerit, † senex, A. cīcīcī*  
*LXXI, aet. LXX. (b)*

*Constantinus VVOLFIUS, Gedanen-*  
*sis, A. cīcīcī xxcvi, Magister Vittem -*  
C 4      bergae

(a) *VVittenius, d. l., in Append.*

(b) *Freherus, d. l., p. 225, Lex. Erud.*

bergae creatus, praeterlaps⁹ biennio,  
inter Ord. Philos. Ascriptos receptus.  
Itinere, per uarias Germaniae, An-  
gliae Belgique, Academias, ad finem  
perducto, domum reuersus, ibi-  
que, A. cīcīc xcii, ad Hebraearum  
Graecarumque literarum, in patrio  
Gymnasio, professionem, et, A. cīcīc  
xcix, ad D. Corporis Christi sa-  
cerdotium, est uocatus, † A. cīcīc cc vi,  
aetatis LXV. (a)

(a) *Praetorius*, d. l., p. 149, *Charitius*, d. l., p.  
34, sq.



CLAV-

# CLAVDIUS BADVELLVS\*

DE  
RATIONE VITAE STVDIOSAE AC  
LITERATAE IN MATRIMONIO  
COLLOCANDAE ET DEGENDAE

AD ORNATISSIMVM VIRVM ATQVE  
DOCTISSIMVM HOMINEM

IOANNEM MASSECALVM

SVMMAE CVRIAЕ THOLOSANAE PRI  
MVM PRAESIDEM

---

**Q**vanta sit, PRAESES, humani  
ingenii non solum imbecillitas, sed  
etiam prauitas ac peruersitas, in iis  
rebus instituendis, quae ad uitam  
colendam pertinent, cum ex mul-  
tis aliis intelligi potest, tum ex hoc,  
quod tam saepe, tamque diligenter, in diuinis  
literis a Deo admonemur, Ne prudentia nostra  
C 5 nita-

\* *De Baduello, cuias fuerit, nihil admodum  
constat. Editus uero est hic libellus Lugd.  
apud Seb. Gryphium, A. cIɔ Iɔ LII, recusus  
Lipsiae, A. cIɔ Iɔ CXXCI, in 8, cum praef.  
Greg. Bersmanni. Vulgavit praeterea Notas in  
Ciceronis Orationes, L. de Officio Professo-  
rum, Acta Martyrum, sui seculi, Geneu. cIɔ Iɔ  
LVI. Vid. Georg. Matthias Koenigius. d. l.*

nitamur, neque nobis ipsis confidamus, sed omnia nostra consilia, omnemque uitae, et instituendae, et moderandae, rationem, ad diuinam sapientiam atque autoritatem reuocemus. Quid enim est homine uanius, et ad prauas opiniones, omnesque errores, magis prouum atque projectum? Quid tantis ignorantiae caecitatisque tenebris est implicatum, quantis humanum ingenium, sibi confidens, implicatur? Quid uero tam confidens, audax, tamque temerarium, quam hominis animus, in iis praefertim rebus constituendis, quas et hominibus, et Deo in primis, probari, uult, in quibus si aliqua species religionis affungi potest, tum, uix dici potest, quantum spiritus, quantumque arrogantiae, sibi sumat, quamque perniciose tum sibi, tum aliis, plerunque consulat. Est enim in natura ipsius hominis insitus, uel potius innatus, amor sui, qui a Graecis φιλαυτία appellatur, qui quidem facit, ut homo seipsum, suaque omnia, nimium et amet, et probet ac admiretur. Is autem amor cuin sit plane caecus et inconsultus, perfaepe accidit, ut, in iudicando et deliberando, mentis iudicium a ueritate abducat, et ea ad consilia deducat, quae magis ualent ad perniciem, quam ad salutem. Quod si etiam accedat confuetudo, quae, tanquam nutrix, suscipiat, alat ac confirmet, quod ab errore prauaque opinione partum est, tum uero huiuscemodi humana institutio tantum ius suscipit, tantamque autoritatem, ut humana temeritas diuinae sapientiae longe anteponatur, ipsaque

ipsaque ueritas supereret a mendacio ac uanitate. Itaque euenit, ut, quae a Deo sunt instituta ac mandata, ea negligantur, pro nihiloque habeantur, quae uero ab hominibus inuenta et introducta sunt, ea ita fanciantur et colantur, ut ad omnem uitae perpetuitatem permansura, sumique autoritatem ac religionem iniolatam retentura, uideantur. Longa est oratio, qua possem demonstrare hanc humani ingenii uel termitatem, in rationibus uitae comparandis, aut potius comminiscendis, uel summam arrogantiem, in iisdem commendandis atque imperandis. Sed MATRIMONIVM, de quo nobis haec instituta disputatio est, unum pro multis exemplum nobis erit, in quo facile cognoscere poterimus, quanto plus in uita instituenda audacia hominis sibi tribuat, quam Deo, ad cuius consilium atque arbitrium tota ratio uitae nostrae est conferenda. Nam, cum coniugii sanctia moderataque institutio ceteris omnibus rebus, quae a Deo hominum generi tributae sunt, et dignitate praefest, et utilitate, tamen, nescio, qua impietate, in tantum contemptum uenit, ut profani prope, et a Christiana religione alieni habeantur, qui hoc genus uitae suscipiunt, sancti uero ac diuini, qui contrariam uitae rationem diligunt. Neque uero ita sentio, coelibatum esse hominum inuentum, sed domum Dei singulare, institutumque diuinum, si caste, pudice ac pie, traducatur. Cuius tamen non ita est amplificanda gloria, ut coniugii, quod etiam a Deo est institutum.

tutum, dignitas minuatur, praesertim, si ii, qui  
in matrimonio degunt, castius ac modestius ui-  
uant, quam illi, qui in coelibatu acquiescunt.  
Ad quem si naturam afferunt intemperantem,  
animumque magis libidini, quam pudicitias, de-  
ditum, causam nullam video, cur illud genus uitae  
extollere tantopere debeant, et coniugium  
contemnere. Vtrunque enim diuinitus est in-  
stitutum, et bonum ac salutare Dei munus, si  
usus bonus ac moderatus sit utriusque, non ab-  
usus ullus, ad propriam, uel libidinem, uel glo-  
riam ac insolentiam, adhibitus. Sed tanta est  
uis eius amoris, quo quisque se prosequitur, ut  
iudicium ueri omne tollat, animoque eas offun-  
dat tenebras, ut, ne in clarissimis quidem rebus,  
homines perspiciant, quid Deus uelit, et natura  
desideret, aut, si perspiciunt, contra tamen, et  
Dei uoluntatem, et suam naturam, contendunt,  
atque, Gigantum more, cum Diis bellum gerant.  
Nam, quid hoc est aliud, quam, Deo impro-  
bante, et natura repugnante, stulte eam rationem  
uitae suscipere, quam honeste ac pie tueri non  
possis? Quod si neque ex uerbo Dei, ad quod,  
tanquam ad normam uitae, omnia nostra con-  
silia studiaque sunt dirigenda, uoluntatem eius  
intelligunt, neque ex ipsa natura, quae quibus-  
dam in rebus dux optima esse solet, eius deside-  
rium sentiunt, usumque coniugii necessarium et  
honestum appetunt, ex ea certe uitae ratione.  
quam ipsi degunt in omni turpitudine, possunt  
satis intelligere, quod genus uitae sit maxime et

Deo

Deo probatum , et naturae hominis accommo-  
 datum. Sed tantam uim habuit opinio , semel  
 susceptra , diuturnaque confirmata consuetudine ,  
 in eam caecitatem homines adduxit , ut neque  
 ea incommoda atque dedecora , quae sunt immixta  
 religioni , uidere potuerint , neque ea Dei iudi-  
 cia animaduertere , quae in matrimonii contem-  
 ptores , impurosque scortatores , plurima graui-  
 simaque facta sunt. Amat enim Deus sua opera  
 ac instituta , eaque , uult , tenere eum locum ,  
 quem unicuique attribuit , neque pati potest , ut  
 eorum dignitatem temeraria cuiusquam cupiditi-  
 as labefaciat. Sanctificatur enim in operibus  
 suis Deus , cum ea ab hominibus , cum maxima  
 autoris laude , recognoscuntur et commendantur ,  
 uituperatur uero , cum aut ingrate obscurantur ,  
 aut impie contemnuntur. Cum autem coniugium ,  
 in institutis Dei summis , summisque eius  
 erga humanum genus beneficiis , primum locum  
 obtineat , quod ab ipso , et ab initio , ad homi-  
 num salutem , fuit institutum , et postea omni-  
 bus aetatibus semper commendatum , non potest  
 non moleste ferre , cum , illud contemni , aut  
 sperni , uidet , ab iis praesertim , qui , alio in  
 uitiae genere , quod imprudenter , aut etiam ne-  
 quiter , susceperunt , nullam non modo sanctimo-  
 niam ac pietatem prae se ferunt , sed ne speciem  
 quidem pietatis , qua se aliis aut uenditare pos-  
 sint , aut etiam , quemadmodum solent , antefer-  
 re. Quare eiusmodi poenis eos affecit , et quo-  
 tidie afficit , ut intelligere facile possint , nisi  
plane

plane deplorati essent, atque perdit, neque dona  
 Dei esse superbe repudianda, neque inconsulte  
 ea affectanda ac appetenda, quae naturam su-  
 perant, hominumque sunt perpaucorum, castita-  
 tem uero pudicitiamque esse quaerendam et pae-  
 standam, non in eo uitiae genere, in quo non  
 possint, sed in eo, in quo possint. Nam, id co-  
 nari, quod non possit, summae dementiae est,  
 tentandi autem fallendique causa id suscipere, in  
 eoque cum flagitio ac dedecore permanere, de-  
 speratae impietatis, initio uero, quod est optimum  
 aptissimumque, diligere, prudentiae, et  
 postea commutare uitiae genus male institutum,  
 ut, conscientia salua, uiuas, ingenii non deplo-  
 rati, et Deum metuentis. Sed ea ratio uitiae  
 in coelibatu degendae primum fuit suscepta,  
 aut potius mandata, iis, qui res diuinis admini-  
 strant, qui sacerdotes appellantur, a quorum  
 quidem officio ac munere, quod est in rebus di-  
 uinis administrandis, coniugium alienum existi-  
 matum est. Neque id tam, propter coniugii  
 indignitatem, et aliquam, quae in ea uita exi-  
 steret, turpitudinem, quam, propter curam at-  
 que sollicitudinem, quam plerunque ea coniun-  
 ctio habet, quae ad illam sanctam occupatio-  
 nem, rerumque diuinarum curationem, minime  
 adiungenda videbatur. Itaque, ut commodius  
 ac liberius Deo seruirent, munusque in ecclesia  
 suum obirent, sacerdotes a coniugio remoue-  
 runt, omnibusque curis huius mundi uacuos es-  
 se, uoluerunt. Neque fuit mens alia eorum,  
 quā

qui coelibatum induxerunt, neque aliud quicquam propositum habuerunt, quam, uitae quan-dam libertatem et commoditatem, ad munera ecclesiastica obeunda necessariam. Nec uero, quemadmodum plerique faciunt, ea institutione aliquid de coniugii dignitate detrahere uoluerunt, nec ab honesta uitae coniunctione hominem abducere, nec uiam ad libidinem atque flagitorum omnium licentiam aperire, nec etiam maiorem iustitiae sanctimoniaeque commendationem, aut apud Deum, aut apud homines, quaerere, sed uacuitatem tantum omnium earum rerum, quibus uita humana, in matrimonio collocata, implicari solet. Nam, ut ait Paulus, \* qui maritus est, eam suscipit sollicitudinem, ut uxori placeat, eique satifaciat. Qui uero est coelebs, coningioque solutus, eam curam habet, ut soli Deo placeat, eique liberre inseruiat. Reliqua autem, hac excepta com-moditate, parem prope iustitiae et sanctimo-niae laudem gratiamque apud Deum habere, existimarent, modo fides adesset, quae, in quocunque genere uitae, cum Deo integre ac pie uiueret, et se suaque omnia studia atque of-ficia approbaret. Sed hi, qui postea fecuti sunt, eo instituto ita sunt abusi, ut coniugium uituperarent, et quasi rem profanam iudicarent, ab eoque, quoscunque possent, auocarent, neque ipsi tamen eam ducerent uitam, quae ei instituto, atque studio pietatis, conueniret.

Quod

Corintb. VII, 32, 33.

Quod si , suae professionis , institutionisque maiorum , memores , honestius ac uerecundius uiuerent , tamen modestiae Christianae esset , de matrimonio ita sentire et praedicare , ut is uult , qui illud instituit , neque ita sibi placere in coelibatu donoque uirginitatis singulari , ut alios , in dissimili uitae genere caste modesteque uiuentes , despicerent , ac pro nihilo ducerent . Nunc uero , cum ea sit eorum uitae ratio , quae tota libidini , tanquam prostibulum quoddam , pateat , miror , qua fronte , et quo ore , audeant coelibatum illum pudicitiae nomine ornare , quem flagitiis omniisque dedecore contaminarunt . Quasi uero scortatores et adulteri , sub praetextu coelibatus , regnum Dei sint possessuri , ac non potius ii , qui , ad quamcunque uitae rationem a Deo uocati , in ea modeste ac sancte uixerint . Sed sacerdotes ista uiderint , et maxime ii , qui , eodem ordine locati , maiorem , quam isti impuri scortatores , tum salutis , tum existimationis , rationem habent . Puto enim , non nullos esse ex eo genere hominum , qui Deum metuant , in eoque instituto atque ordine honeste uiuant . Qui , utinam , eam curam sollicitudinemque fusciperent , ut impudicos flagitiososque continerent , aut , quod est facilius , loco illo ordineque amouerent . Ita enim consulerent honori et dignitati eius instituti , quod castissimis sanctissimisque moribus eorum , qui illud amplectuntur , in primis ornatum esse , oportebat . Nunc , propter multorum libidines intemperantes ,

perantes ac flagitiosas, ita male audit, ut coelibatus, non ad colendam pudicitiam suscepimus, sed ad libidinem explendam appetitus, esse videatur. Piores quidem illos, qui eius uitae fuerunt autores, puto, magnam causam habuisse, non tam gratiae apud Deum, aut homines, maioris ineundae, quam opportunitatis ministerio ecclesiae comparandae. Quanquam et antea D. Paulus \* praedixerat, futurum, postremis temporibus, genus quoddam spirituum fallacium, qui homines a matrimonio prohiberent. Non tamen in eo, hominum genere pono eos, qui coelibatum sacerdotum instituerunt. Fuit honesta ratio, ut dixi, et grauis causa, eius institutionis, et ea, quam idem Paulus iis, qui Deo libere seruire uolunt, proposuit. Utinam, hi, qui ecclesiae ministri uolunt esse, eandem mentem atque animum afferrent ad coelibatum suscipiendum, quem illi, uel habuerunt ad instituendum, uel ad colendum ipsi attulerunt, perpetuoque retinuerunt, et iis moribus atque studiis honestarent id uitae genus, quod maiorum continentia, castitate ac sanctitate, maxime fuit celebratum. Nunc plerique pulcherrimo praestantissimoque instituto magis abutuntur ad licentiam cupiditatum suarum, quam utuntur ad eas commoditates, quas ueteres, in eo introducendo et suscipiendo, secuti sunt. Quod si maiores existimassent, aut tantam turbam futuram sacerdotum, aut tantam licentiam libidi-

D

num,

\* 1 Timoth. IIII, 3.

num, tantamque in omni flagitorum genere impudentiam, nunquam profecto, qua fuerunt pietate, eam rationem induxissent, aut, ad pauciores atque modestiores eam pertinere, uoluissent. Quamobrem in huiuscemodi rebus instituendis, quae ad uitam pertinent, magna cautio adhibenda est, omniaque incommoda prouidenda, quae leges et instituta illa possunt consequi. Neque solum uidendum, quam rectum honestumue sit id, quod in remp. aut ecclesiam introducitur, sed etiam prospiciendum, quo modo illud corrumpi possit, et iis incommodis, quae consequuntur, certa quadam ratione occurrendum. Ut in coelibatu, si cautus delectus fuisset praescriptus, et certus numerus sacerdotum praesinitus, non ea existerent uitia et dedecora, quibus sanctissimus ordo indignissime contaminatur. Neque sane fuit difficile, uidere, in tanta, tamque infinita, turba sacerdotum, eorumque imperitorum, ac otiosorum, non magnum futurum locum castitati. Quae, cum sit donum Dei rarum et singulare, cuius, ut ait Christus in euangelio, non sunt capaces multi, quomodo posset tam late patere, quam late patet eorum coelibatus, qui sacerdotio fuguntur? Requirit enim ea uirtus, primum, naturam sua sponte moderatam ac continentem, deinde, iis studiis excultam et occupatam, quae uitiosam immoderatanque naturam possunt corrigere et continere. Sed hoc tantum incommodum non uiderunt, neque multitudinem infinitatemque

nuni-

ministrorum ab ecclesia excluserunt. Existimau-  
runt enim, illud iudicium atque delectum in ec-  
clesia permansurum, quem Paulus ante, in mi-  
nistris ecclesiasticis constituendis, prudenter pre-  
scripsierat, et ipse diligenter adhibuerat, neque  
putarunt, unquam futurum, ut dignitas tantū  
muneris tam irreuerenter pateret omnibus. Ex-  
tant Pauli ad Timotheum et Titum epistolae, in  
quibus non minus diligenter, quam erudite,  
praecipit, quales ii esse debeant, qui sunt ecclē-  
siae praefuturi. Cuius doctrinam et autoritatem,  
non dubium est, quin ii secuti sint, qui coeli-  
batus sacerdotum autores fuerint, atque etiam  
sunt arbitrii, propter instituti difficultatem,  
munerisque dignitatem, non tot futuros, qui  
sacerdotes fierent, atque in coelibatu, sine  
ulla libidinis suspicione, uiuerent. Quo in  
genere si hoc tempore sunt aliqui, quem ad modum,  
non nullos esse, puto, qui, instituti ma-  
iorum, sive officii, memores, cupiditates  
contineant, atque animum piis studiis exerceant,  
iis, censeo, summam obseruantiam et reueren-  
tiā esse praestandam, eorumque autoritatem  
apud omnes bonos plurimum ualere, oportere,  
uehementerque doleo, eorum famam ac existi-  
mationem laedi infamia aliorum, qui suis flagitiis  
sanctissimum ordinem polluunt. Sed spero, fu-  
turum aliquando, ut Christus suam ecclesiam  
tanta colluione hominum liberet, bonorumque,  
qui in ea sunt, dignitatem tueatur, autoritatem-  
que ecclesiastici ordinis ac munera constituant  
atque confirmet. Sed, ut redēam ad proposi-  
tum,

tum, non solum ab ecclesiae ministris coelibatus fuit postulatus et suscepitus, verum etiam ab aliis, in primisque ab iis, qui, uitae professione, ad sacrosanctum sacerdotum ordinem proxime accederent. Hi autem sunt homines studiosi et literati, qui se in optimarum artium studio totos collocarunt, a quorum professione uita coniugata aliena fuit iudicata. Causa autem, quae homines deduxit in eam opinionem, ut, hanc quoque uitam studiosam a coniugio, censerent, sciungendam, in eaque coelibatum maxime probarent, fuit prope eadem, quae fuit sacerdotalis coelibatus. Nam, quem ad modum illis, propter rerum diuinarum administrationem, coniugium non fatis aut decorum, aut opportunum, uisum est, ita literatis, propter bonarum artium tractationem, non honestum, neque accommodatum, existimatum est. Ab utroque hominum genere singularem uitac modestiam, continentiam pudicitiamque, postulauerunt, et in eo quidem praecclare iudicarunt. Quid enim est, quod aut rerum sacramentum moderatores, aut optimarum literarum professores, magis deceat, quam castitas et uercundia? Cum et Deus, cuius illi sunt administrari, sit sanctissimus, et Musae, quarum sunt isti studiosi, castissimae uirgines habeantur. Sed, quod eam uirtutem in honesto coniugio non uiderent, aut, quod, sine eo, in tanta naturae infirmitate, tantisque huius mundi illecebris, pudicitiam praestari posse, crederent, a

plurimis, in eo certe errauerunt, nec matrimoniī dignitatem, nec ipsius naturae uim, satis perpenderunt. Quod si huius uitae, a coniugio desertae, rationem ad tranquillitatē studiorum otrumque retulissent, fortasse, et in iudicando, et instituendo, eo genere uitae, minus peccauissent. Fuisse enim secuti eam commoditatem, in tractando hoc studio, quam sacerdotes, in docendo uerbo Dei, ac religione moderanda, proposuerunt. Quae tamen causa, si, in hoc quidem studio, ualere debet, non uideo, cur non in aliis quoque uitae generibus, quae non minus ad rempub. pertinent, magna ac grauis esse debeat. Nam, si coelibatus ab studiosis ac literatis propterea requiritur et postulatur, ut plus otii ac temporis ad studia recolenda habeant, atque ita reip. melius inferviant, oportet, eadem de causa, idem flagitarī a magistribus, et iis, qui munus aliquod publicum gerunt, quorum opera non minus tota debet esse reipub., quam eorum, qui aut religioni praesunt, aut bonis literis. Neque enim de officio studioque eorum erga remp. domestica cura plus debet detrahere, quam de studio literarum. Quod si ita est, ut coniugium tranquillitatem animi impedit, uitaeque officium perturbet, quid causae est, cur e maiore meliore que hominum parte tollatur, et solis relinquantur opificibus. Quanquam ne in illis quidem remanebit, si uera opinio est, quod animum ab officio atque munere abducat, atque ita fiet,

ut ea uitae institutio e uita ipsa tollatur , sine  
 qua uita esse non potest , aut , hac diuina ac fa-  
 lutari sublata coniunctione , ea licentia conse-  
 quatur , in qua , ritu ferarum , eam consuetudi-  
 nem appetant , quam nefaria effrenataque libi-  
 do excitarit . Id uero ne accidat , omnes boni  
 ac sapientes , et amantes communis tum salutis ,  
 tum dignitatis , in primis prouidere debent , ma-  
 trimonii honestatem et colere , et defendere , et  
 alios adhortari ad eam uitae rationem , qua nul-  
 la est nec melior , nec honoratior . Evidem ,  
 quantum facere , omnique studio conniti , po-  
 tero , non committam , ut coniugio praesertim  
 studiosorum , uel propugnando , uel laudando ,  
 defuisse uidear . Nam , cum me Deus ad utrum-  
 que uitae genus vocarit , alterumque cum altero  
 in me coniunxerit , studium optimarum litera-  
 rum cum honestissimo coniugii instituto , ui-  
 deor mihi nihil alienum ab meo officio facturus ,  
 si , quae sit literarum et matrimonii coniunctio ,  
 demonstraro , easque perniciosas hac de re op-  
 niones redarguero , quae , longa confirmata  
 consuetudine , animos hominum mirabiliter oc-  
 cuparunt , neque error hac in parte semel susce-  
 ptus , quamuis diuturnitate temporis maximam  
 uim acceperit , apud doctos quidem certe plus  
 ualebit , quam ipsa ueritas , et uitae communis  
 utilitas , et doctrina , cum bonarum literarum ,  
 tum maxime diuinarum , quae plane nos docent ,  
 quae ratio degendae uitae sit eligenda , et quo-  
 modo ea instituenda et moderanda . Eorum  
 homi-

hominum, qui abhorrent a coniugio, studiumque literarum ab eo se iungunt, quatuor sunt genera. Vnum eorum, qui, hoc genus uitae, sciunt et satentur, honestum esse, Deoque probatum, sed id, propter inopiam ac indigentiam earum rerum, quas requirit ea uita, praesertim coniuncta cum literis, non audent attingere, quorum timori atque infirmitati danda uenia est. Alterum est hominum imperitorum et imprudentium, qui, cum, propter iudicij imbecilitem, in ineunda vitae ratione, ignorent, quid sit optimum, sequuntur eam opinionem et consuetudinem, quam apud multos valere, uident, ad eamque rationem toto animi impetu feruntur, quam, uident, probari atque seruari a pluribus, quorum quidem imprudentia aliquam excusationem habere potest. Tertium est, quod, ut in maiore uiuat honorum affluentia, uoluptatum licentia, coniugium odit ac refudit, tanquam pistrinum quoddam, et ergastulum perpetuae duraeque seruituti addictum, et id vitae instituum arripit, in quo non tam otium ad studia recoienda, quam magnas facultates, ad libidines explendas, omnisque generis uoluptates percipiendas, habere possit, quod genus hominum uoluptarium est uchementer reprehendendum, atque acerbe castigandum. Quartum uero nullo modo ferendum est, sed e repub. Christiana profigandum, prorsusque tollendum. Est enim plane impium, et, cum institutione uitae ac consuetudine, tum etiam

doctrina, Christianae religioni inimicum. Hoc autem est eorum, quibus non satis est, quod ipsi impurissime intemperantissimeque uiuant, nisi etiam, quod sentiunt, et faciunt, alios doceant, neque solum scortationem flagitiosam ac nefariam, omnemque libidinis intemperantiam, hominibus ipsi permittant atque concedant, sed etiam, a Deo concedi, dicant. Horum quidem opinio impia, impuraque doctrina, iam inueterauit, et in multorum ac imperitorum animis infedit penitus, prauaque uiuendi consuetudo, ac licentia uoluptatum omnium, innumerabiles homines ad eam uoluptariam rationem illexit, et ab optimo uitae genere abduxit, quod poterant amplecti, in eoque, et honeste, et comode, uiuere. Tanta uero Christianae religioni, et literarum studiis, incommoda atque decora intulit, quanta nulla ratione, nec sine summo dolere, possem dicere. Nam, ut nihil dicam de moribus, quos in plerisque hi uoluptarii homines, ac impuri scortatores, suis sceleratis opinionibus corruperunt, et perniciofis exemplis, quae in eam uitam induxerunt, quam pulcherrimis sanctissimisque institutis abundare, oportebat, perdiderunt, ea infamiae labes nomini Christiano est inusta, quae uix unquam deleri poterit. Nam, qui modestiae, temperantiae continentiaeque, nomine apud omnes gentes nationesque in primis bene audire debebant, optimisque moribus ac sanctissimis exemplis religionem, quam a Christo accepérant,

ceperant, commendate, ad eamque ceteros, a Christiano nomine alienos, omnibus honestissimis rationibus inducere, hi iampridem, propter quorundam liberas libidines concessaque flagitia, apud omnes orbis populos pessime audiunt, dignitatem ecclesiae polluant, autoritatem religionis labefaciunt, ab eaque suscipienda multos auertunt. Literarum uero uicem, de quibus instituta nobis est oratio, quis unquam fatis, pro earum dignitate, aut dolere, aut deploare, poterit? Quot, et quam bona, ingenia eius uitae licentia, atque concessa foedae uoluptatis intemperantia, peruerit, ac omnino perdidit, quae in matrimonio, cum aliter non possent honeste uiuere, si se cum literis coilocassent, in eoque, quod fuit facilimum, continuissent, nec uagas illas libidines appetiuissent, quanta adiumenta atque ornamenta reip., et ecclesiae, et literis, importassent, quantamque autoritatem, gratiam, benevolentiam, studiosis ac literatis comparassent? Hoc uero et fieri debuit, et potuit, assumpta quidem ea uitae ratione, quae a literarum neque dignitate, neque otio, mihi uidetur abhorrire. Etenim hoc in primis Deus requirit, et ratio literarum docet, et confirmat bonorum prudentiumque consuetudo, a quibus ita semper factum est, sive quotidie, ut quisque id uitae institutum, in quo a Deo sit constitutus, omnibus, quibus possit, honestis rebus, ornet, omnibusque commendet hominibus, ut et Deus, autor eius munieris, gloriam

riam adipiscatur, et ipsa uitae institutio atque professio autoritatem, dignitatem caritatemque hominum, consequatur. Quae autem est ars, disciplina ac uitae professio, quae aut maiorem muneric suscepit commendationem requirat, aut meliorem hominum existimationem, quam haec ratio optimarum literarum, ac liberalissimarum artium, quae, cum propterea sit comparata, a Deo que hominibus tributa, ut uitam humanam erudiat, sanaque doctrina atque praceptis recte uiuendi instituat, debent, qui ei praefunt, si Deo uolunt obedire, si munus suum tueri, si autoritatem docendi praecipiendique habere, si gratiam ac benevolentiam acquirere, eam uitam instituere et colere, ut nihil appareat in ea, quod quenquam possit offendere, aut ab hoc studio alienare. Sed, quod alias docere uolunt et fuscipiunt, in ipsorum uita ac moribus ita illuminatum debet esse, ut exardecat, omnibusque praeluceat, aliorumque animos ad amorem earum rerum, quas profitentur ac docent, uehementer accendant. Sunt enim res praeclarissimae et maxime utiles, quae in literis continentur, quae tum optime et docentur, et discuntur, cum traduntur ab iis, quorum uita ac mores a professione atque doctrina non abhorrent. Neque enim hoc solum fuscipit ingenuarum artium studium, ut iis, qui se ad illud contulerint, orationis elegantiam et rerum cognitionem afferat, atque tantum linguam mentemque informet, sed praeterea hoc efficit, si bonum aliquius animum,

num atque ingenium nanciscatur, ut illud  
 omni humanitate morumque modestia tempe-  
 ratum, atque in omni recto uitiae officio institu-  
 tum, reddat, quae morum conformatio nisi adhi-  
 beatur, et ad doctrinam literarum adiungatur,  
 quae potest esse rerum scientia, aut orationis  
 elegantia, aut quomodo utilis ac salutaris esse po-  
 test? Neque enim facile a uitioso depravato-  
 que ingenio oratio aut prudens ac erudita, aut ele-  
 gans et composita, solet profisci, neque potest uel  
 autoritatem habere, ut doceat, uel etiam suaui-  
 tatem, ut delectet. Ex animo, necesse est, ha-  
 beat, quocunque potest, eiusque uim, naturam  
 formiamque, referat. Est enim in eo fons, unde  
 eam, oportet, dimanare, similesque fontis edere  
 riuulos, puros ac salubres, si origo talis est, im-  
 puros nero ac pestilentes, si ab impuro corru-  
 ptoque fonte profluant. Neque est ulla aqua  
 aut immundior, aut pestilentior, quam, ab ani-  
 mo prauo ac impio profecta, oratio. Itaque,  
 propter eam similitudinem naturae, quam effin-  
 git atque exprimit, speculum animi est appellata,  
 quod mores eius in ea maxime reluceant.  
 Nihil enim est, quod naturam uimque animi  
 melius ostendat, quam sermo, qui si est tinctus  
 iis uirtutibus, quibus bonus animus praeditus  
 est, nihil potest esse eo neque pulchrius, neque  
 melius, nec ad uitiae societatem accommodatius.  
 Cum nero eiusdem uitiiis prauisque opinionibus  
 est contaminatus, aut etiam aspersus leuiter, ni-  
 hil eo est aut deformius, aut uitiae communis  
 per-

perniciosus. Neque est ullus fons, ueneno infectus, ex quo homines hauriant, qui tam noceat, quam sermo, ab impio animo depromptus, atque in communi uita prolatus. Et, quamvis iste fictus et simulatus esse possit, aliquandoque mentiri, et speciem praeferre boni uiri, tamen, quoniam nulla simulatio firma, nec diurna, est, nec species fictae probitatis diu in mendacio ac simulatione esse potest, nec uita humana, nec Deus, ueritatis amantissimus, et ultor acerrimus, diutius ferre, proferet se aliquando, quod intus, diu inclusum, latuit, magnamque infamiam animi, non uitiosi solum, sed etiam mendacis, affret. Vult enim Deus, ipsa etiam uita requirit, ut summam animi integritatem in nostro munere praestemus, ueritatemque colamus, quae est fundamentum uirtutum omnium. Fraudem autem et mendacium fugiamus, atque, hac recta conscientia, nostrorum tum officiorum, tum studiorum, nos sustentemus, et gratiam hominum benevolentiamque comparemus, atque eo maius debet esse studium eius integritatis ac fidei, quo maius munus est a Deo nobis mandatum, magisque cum ad gloriam Dei, tum ad communem utilitatem uite, pertinet. Cum autem uita studiosa ac literata sit professio earum artium, quae optimae, humanissimae liberalissimaeque, et sunt, et nominantur, idque studium ac institutum sit huiusmodi, a quo ipsa Humanitas, et uitae morumque elegantia, peruenit ad alios, oportet, eos, qui eo in studio uersantur,

tur, ita caste ac integre se gerere, ut formam expressam in moribus ac tota uita p[re]se ferant earum rerum, quae in optimis literis ingenuisque artibus continentur. Duo porro sunt maxime excolenda iis, qui ad studium humanitatis ac bonarum artium se contulerunt, ratio atque oratio, eaque duo, quae Deus homini ex omnibus animantium generibus soli attribuit, praefstantiora et illustriora debent esse in literatis, quam sunt in ceteris, qui nullas literas attigerunt, aut tantum degustarunt, ut his duabus facultatibus, quae sunt maximae, maximeque ad usum uita[rum] necessariae, hi, qui exculti sunt literis, tanto praestent ceteris hominibus, quanto ipsi homines reliquis animantibus praecellunt. Nam, et de rebus, et sentire melius et prudenter, et elegantius commodiusque sermone uti, debent, quam ceteri omnes, quorum mens atque lingua ingenua doctrina literarum conformata suit. Quod si hae duae animi uirtutes in studiosis cernantur deteriores, quam in aliis hominibus, magna suscipitur infamia, non tam tarditatis, quam negligentiae, qua, et otio, et literis, sunt abusi turpiter, cum in his ea neglexerunt, ad quae excolenda, aut paranda, accesserunt. Atque, in eam culpam et reprehensionem negligentiae ac ignauiae, necesse est, eos incurrere, qui non dant operam, ut uita et mores cum studio ac professione consentiant. Si uero in eisdem appareat uita flagitiosa, in omnique intemperantia dissoluta, in eam incident uituperationem.

tionem et infamiam , qua nulla turpior , neque  
 literis indignior , nec a Christiana religione alienior  
 dici , aut excogitari , possit . Quae autem  
 orationis uel prudentia , uel commoditas , ab  
 hoc hominum genere expectanda ? Deplorarem  
 hoc loco causam literarum , si , aut bonis ac do-  
 ctit esset obscurum ; quantum incommodi atque  
 dedecoris est literis importatum ab his , qui ab-  
 horrent a matrimonio , coelibatumque et otium  
 ad mollitiem animi uoluptatemque expetunt , aut  
 ea esset uis ingenii atque orationis meae , quae uel  
 indignitatem rei , uel doloris mei bonorumque  
 magnitudinem , declarare posset . Itaque , omissa  
 hac coniectione , quae moerorem ex tanta in-  
 dignitate suscepturn augeret potius , quam leua-  
 ret , accedam ad disputationem eius rei , quae  
 mihi proposita est , ostendamque , coniugii con-  
 iunctionem a literatum professione non tam esse  
 alienam , quam plerique arbitrantur , sed potius  
 eiusmodi , quae uitiae literatae magnum et ad-  
 iumentum , et ornamentum , et solatium , afferre  
 possit . Neque uero illum laborem hac in parte  
 sumam , ut coniugium suis ac ueris ornem lau-  
 dibus , eiusque dignitatem a diuina autoritate  
 profectam , atque omnium aetatum iudiciis con-  
 firmatam , esse , ostendam . Hoc enim multi ante  
 doctissimi homines accurate fecerunt , de con-  
 iugiique laudibus multa honorifice ornateque  
 scripsierunt , ut mihi hac in parte nullus locus sit  
 relicta . Nemo est etiam , qui ignoret , Deum  
 autorem esse matrimonii , eaque extare in sacris  
 literis

literis de eo testimonia , quibus nulla possunt  
 esse, ulla alia de re, uel grauiora , uel honorifi-  
 centiora. Neque mihi de toto ipso genere con-  
 iugii est suscepta disputatio , sed tantum de con-  
 iugio literatorum , quod quidem non tale esse ,  
 quale multi existimant , demonstrare proposui.  
 Quare eam omnem orationem , quae ad autorita-  
 tem , ius , sanctitatem , matrimonii constabiliendam  
 amplificandamque pertinet , praetermittam , ne  
 id uidetur aut tractare , quod mihi non est pro-  
 positum , aut confirmare , quod non dubium ,  
 aut laudare , quod nemini est obscurum. Tem-  
 pus tamen et id , quo primum coniugium a  
 Deo fuit institutum , et illud , quod eam diui-  
 nam institutionem est consecutum , nobis con-  
 siderandum est , ut intelligamus , quanta uis sit  
 eius coniunctionis ac societatis , quam Deus  
 primum inter homines , et maximam uiro cum  
 femina , conciliavit. Nam , etiam tum , cum in-  
 tegra et casta hominis natura esset , neque ullis  
 carnis stimulis ad feminam appetendam incita-  
 retur , coniugium a Deo fuit constitutum et  
 grauiter commendatum. In summa enim na-  
 turae hominis moderatione et castitate , tamen  
 hanc coniunctionem uitiae atque consuetudinem  
 feminae , ad bene incundequi niuendum , Deus  
 necessariam esse , duxit , solitudinemque homini  
 alienam esse , dixit , adjunctionem vero feminae  
 ad uirum , eamue uitiae societatem , homini ualde  
 esse opportunam et iucundam. Itaque alter-  
 rum cum altera ita coniunxit , ut , eam , coniun-  
 ctionem

que  
 die-  
 em  
 ab  
 em  
 do-  
 que  
 ab-  
 um  
 aut  
 uel  
 que  
 issa  
 in-  
 qua-  
 nae  
 on-  
 esse  
 ius  
 ad-  
 re  
 rte  
 au-  
 ate  
 on-  
 que  
 sit  
 um  
 eris  
 eris

etionem grauissimae ac sanctissimae parentum ne-  
 cessitudini anteponendam , dixerit . Quod tem-  
 pus est postea consecutum ? nempe illud , in quo  
 tanta cum totius humanae naturae deprauatio  
 tum etiam libidinis intemperantia , simul se-  
 cuta est , ut coniugium , non tam ad solatum tae-  
 diumque leuandum solitudinis , adhibendum fue-  
 rit , quam , ad reprimendam coercendamque li-  
 bidinem , remedium comparandum . Itaque usus  
 huius instituti est , cum , ut iuncte uiuamus ,  
 adiungendo nobis eam uitiae sociam , quam  
 hominis natura appetit , tum etiam utiliter li-  
 beros reip . procreando atque instituendo , tum  
 vero honeste continenda libidine , pudicitiaque  
 in sancto ac moderato coniugio conseruanda . Hae  
 enim sunt causae coniugii instituti , et eadem  
 debent esse unicuique instituendi ac suscipiendi ,  
 sed maxima illa , ut hominis natura , quae ad ui-  
 tium hoc maxime proclivis est , nefaria libidine  
 flagitiisque non polluatur , sed in ea moderati-  
 one , pudore pudicitiaque , conseruetur , qua ho-  
 mo a brutis animantibus differt plurimum .  
 Homo enim ad pudorem ac uerecundiam na-  
 turus est , itaque a Deo creatus , ut ad certam  
 legitimamque coniunctionem , non ad uagam  
 atque nefariam libidinem licentiamque , aptam  
 naturam habeat . Hanc coniunctionem natura-  
 lem , honestamque uxoris consuetudinem , si re-  
 linquat , et aliam appetat , atque amplectatur ,  
 quam Deus nec instituit , nec permittit , cum  
 turpiter contaminat ipsam naturam , tum ordi-  
 nem

nem a Deo institutum scelerate uiolat. Neque enim Deus ullo modo probare potest , et hominibus concedere, eam licentiam uitae atque intemperantiam , quam quidam in omni genere libidinis effrehatae , omnique scortatione , et sibi , et aliis , concedunt , et , a Deo concedi , dicunt , sed tam dissolutam uitae rationem uehementer odit , et poenis acerbissimis afficit . Qui enim eam concederet , aut approbaret , quae est contra et suam institutionem , et naturae excellentiā , praeſertim , cum is sit ea natura atque mente , quae nihil fōrdidum ac impurum ferre potest ? Est enim Deus lux purissima , nullis neque tenebris offuscata , neque perfusa fōrdibus . Homo autem ad illius imaginem et similitudinem creatus est , cum eoque eam habet societatem , quae , primis illis ſeculis , Abraamo atque eius posteris cum eo religioſe fuit constituta , et nouissimis , per mortem Christi filii Dei , sancte confirmata , et ſemper a piis hominibus , in omni uitae sanctimonia , culta ac conſeruata . Quare , quicunque uolunt eſſe in ea ſocietate atque amicitia , quae cum Deo eſt , debent , quantum humana fert natura , eſſe particeps eius puritatis et sanctitatis , quae in Deo ſumma eſt , neque quicquam non modo facere , ſed , ne cogitare quidem , quod ea coniunctione tam praefante indignum ſit . Duae autem ſunt partes , quibus homo et ab initio conſtiturus , et poſtea , cum eas omnes corrupiſſet ac perdiſſet , per Christum reſtitutus , corpus atque ani-

E

mus

mus, in quibus duabus partibus puritas ac castitas requiritur. Vtrunque enim creauit Deus, et pro utroque Christus mortuus est. Vtrunque igitur, eorumque membra, cum iam nostra non sint, sed uel eius, qui ea effecit, uel eius, qui perdita suo sanctissimo sanguine recuperauit, debemus conferre, et, tanquam sacra uasa, applicare, ad eius usum et cultum, qui illa ab impiis et profanis usibus segregauit, et ad sancta ac diuina munera atque officia transferre uoluit. Non enim iam sumus nostri, aut alterius cuiusquam, nisi eius solius, a quo pretio magno redempti sumus. Itaque ea est omnium piorum uitiae ratio, ut, memores cum illius creationis, qua ad imaginem Dei conditi sunt, tum uero eius redemptionis, qua, per Christum, amissam Dei imaginem eiusque gratiam ac benevolentiam recuperarunt, in pristinam societatem atque amicitiam restituti, omnia, tum animi, tum corporis, inquinamenta fugiant, et, quae sunt casta, pudica, sobria, honesta, sancta ac pia, sectentur. Est enim animi etiam quaedam impudicitia, quae in sacris literis scortatio appellatur, ipsius animi a uero Deo disiunctio, et cum creatura nefaria impiaque coniunctio. Quem ad modum in eodem castimonia est cordis cum uoluntate Dei summa consensio, in eoque amando ac colendo integritas atque fides, quae Deo est gratissima. Sed, de hac mentis et animi castitate, mihi non est propositum, disputare. Hic de coniugio agimus, quod ad honeste pudenticeque

diceque uiuendum , diximus , comparatum . Id enim , ad sanandam hominis carnem , quasi remedium datum est , et vinculum , ad continendam libidinem , concessum . Deus autem nostri non solum animi , uerum etiam corporis , usum , ad cultum suum requirit , qui nullus potest esse , si pudor pietatis custos amissus fuerit , corpusque ad omnia flagitia prostitutum . Deus enim uult , et iustum est , ut colamus et honoremus eum ius naturae nostrae partibus , quarum est ipse effector , et conseruator , neque potest eos secum ferre , aut amare , qui utrumque , aut alterum , negligunt , aut polluunt , neque integer esse potest usus et cultus unius , nisi alterius etiam sit incorruptus , neque castimonia ulla animi retineri , nisi continentia corporis pudicitiaque retineatur , neque ulla cum Deo esse amicitia , quae utraque parte non castissime et sanctissime colatur . Quare , quoniam , ut ait Ioannes , \* a tenebris ad purissimae lucis societatem uocati sumus , uerecundia ac pudicitia est retinenda , si uolumus cum Deo coniuncte uiuere , in eoque fideliter manere , qui est , ut dixi , lux pura , quae nullas tenebras , hoc est , animi corporis que maculas , perferrere potest . Impudicitia nero , ac scortatio carnisque intemperantia , est fugienda , et Christianorum confuetudine atque congressione prohibenda , in qua nulla est , nec esse potest , firma , aut sincera , cum Deo amicitia . Et enim , quae erit amicitiae atque benevolentiae

E 2

coniun-

i Ioannis I.

coniunctio, ubi nulla est morum naturaeque similitudo, quae, aut coniungat, aut coniunctos in amicitia, hoc est, in sancto mutuoque amore, contineat? In quibus uero tanta est morum dissimilitudo, tantaque discrepantia, ut nihil magis possit disrepare, aut magis repugnare, inter eos quae erit coniunctio ac consensio animorum? Nihil enim est, quod amicitiam magis aut impedit, aut dissoluat, quam studiorum consiliorumque discrepantia, contra, nihil, quod facilius contrahat, uel contineat arctius, quam morum atque ingeniorum similitudo bonorum. At, quid in natura rerum est tam dissimile, discrepans ac repugnans, quod Deum ab hominibus uehementius abalienet et longius separet, quam summa illius puritas ac sanctitas, et quorundam in omni libidine foedissima intemperantia, impudicaque impudicitia? Quae coniunctio, inter tales, tam impuros, homines, et Deum purissimum, quae mutua benevolentia, quae uoluntatum sententiarumque consensio, esse posset? Citius igitur conueniet luci cum tenebris, igni cum aqua, quam Deo sanctissimo cum flagitiosis scortatoribus. Ea tanta morum ac naturarum repugnantia est etiam in causa, ut nulla piis hominibus, qui castum non solum animum, sed etiam corpus, student praestare Deo, cum impuris huiusmodi hominibus, uel necessitudo, uel consuetudo, uel ulla uitiae sermonisque communicatio, nec esse debeat, neque posit. Tanta enim morum differentia, uitiae-

que

que repugnantia , nullam pati potest inter eos non modo familiaritatem , sed , ne ullum quidem communem usum uitae . Praeterea tam infamis ac flagitiosa uitae ratio horum hominum , cum bonos mores Christianorum laedit , tum etiam uehementer dedecorat eam honestatem , quam in ecclesia , hoc est , cœtu Christianorum , maxime , oportet , relucere , et ab huiusmodi fœditibus abhorrire . Quare , oportet , ut omnes , qui non solum nomine , sed etiam magis uita , nolunt pietatem profiteri , Deumque ac Christum pie confiteri , primum ab hoc hominum genere sibi caueant , idque non solum consuetudine , uerum etiam congreßione , collocutioneque , prohibeant , atque , ut loquuntur in ecclesia , planè excommunicent , exterminent , profligent , deinde ipsi eam uitam comparent , ut omnia , tum mentis , tum corporis , inquinamenta dedecoraque fugiant , eumque hominem suscipiant , induant ac gerant , qui , cum ad pietatem et iustitiam creatus est , tum uero ad modestiam , piudorem omnemque temperantiam , ut , qui a religione sunt alieni , sanctissimae uitae admiratione commoti , ad Deum conuertantur , eaque luce ac splendore optimae uitae aliorum flagitia detegantur , et ex tenebris in apertum proferantur . Hoc enim iubet ipse Christus , et Apostolus eius , Paulus , multis in locis diligenter praécipit . Et Ioannes , prima sua epistola , nihil aliud docet , quam , ut , quae sit nostra profesio , cognoscamus , eamque uitae innocentia ,

puritate ac moderatione, declaremus atque ordinemus. Eius rei tanta ratio habenda est, tanta que cura fuscipienda, ut piis omnibus, qui Deum amant, nihil antiquius esse debeat, atque in omni consuetudine, in qua Christianus debet uersari, ea reuerentia est adhibenda cum erga Deum, tum etiam erga homines, ut, quae aliquam aut speciem habent turpitudinis, aut suspicionem offensionis, ea omnia uitanda sint, et omni studio ea quaerenda ac persequenda, quae aliquam uel commendationem, uel benevolentiae conciliationem afferunt, cuiusmodi sunt, quaecunque uera, grauia, iusta, pura, amica, cum uirtute denique, ac bona fama laudedeque, coniuncta, a Paulo \* enumerantur et piis proponuntur, ea omnia sunt omni tempore meditanda, atque omni studio excolenda. Nihil autem est, quod grauius offendat, quodque animos ab huius professionis, aut religionis, studio magis alienet, quam morum maculae et flagitia uitae, in ea libidine, de qua loquimur, dissolutae, et maxime eorum, qui, cum abstinent ab honesta uxoris consuetudine, ac sancta coniugii societate, non tamen ab iis uitiis atque stupris abstinent, quae Deus prohibuit, et, acriter se vindicaturum esse, dixit. Neque uero hac uitae turpitudine solum fit offensio hominum et alienatio, uerum etiam, ac multo quidem magis, ipsius Dei, qui nihil impurum ac flagitiosum in suis ferre potest, et ipsius Spiritus

Philipp. III. sancti

sancti, cuius, in nobis habitantis, templum esse corpus nostrum, existimare debemus. Illud autem flagitiis maculare, sanctumque Dei Spiritum, qui in eo habitat, ita tractare indigne, gravius sacrilegium ac scelus est putandum, quam, templo alia et fana auro aliisque rebus spoliare. Quare recte et saepe admonet nos idem Paulus, \* ne hoc templum, quod corpus nostrum est, corrumpamus, neque Spiritum sanctum in eo habitantem contristemus. Nec uero naturae est repugnandum, neque plus, quam possumus conandum, neque id suscipiendum, quod vires superat, et in quo infirmitas hominis, cum magno pudicitiae periculo, periclitari potest. Castitas enim corporis non est eiusmodi uirtus, quae aut a natura nobis detur, aut a doctrina rationeque aliqua afferatur, sed est donum Dei singulare, quod non in multis late patet, quod tamen nisi sapientia excolatur, aut honesta aliqua occupatione custodiatur, non facile is, qui etiam naturam habet moderatam ac continentem, tueri poterit. Cum autem intemperantia carnis tanta sit, et ad libidinem propensio, idque uitium pateat latissime, cur uolumus tantae consciæ imbecillitatis aut tentare Deum, aut nos ipsos fallere, aut naturam violare ad eamque rationem cogere, quae cum omni homine, tum maxime Christiano indigna est? Quare, cum, in maxima naturae infirmitate, coniugium sit constitutum, et a Deo omnibus

mandatum, non ad coeundam solum uitae societatem, sed etiam ad pudorem, honestatem ac existimationem, retinendam, et ad Dei spiritusque eius sanctitatem conseruandam, profectam praeclarum, tam salutare, ac necessarium. Dei institutum nemini in ullo vitae genere est aspernandum. Sed mihi hoc propositum non est, uniuersitate de matrimonio disputare, neque demonstrare, quid cuiusque hominis vitae ratio requirat. Quisque in eo statu, in quo est constitutus, secum consideret, et cum Deo ac conscientia, quibus inuitis nihil unquam faciendum est, deliberet. Nam, et natura hac, quidem in re, optima dux esse solet, et Deus ipsis naturae, quod opportunum necessariumque appetentis grauissimus est approbator, et suasor prudentissimus fidelissimusque eius rei, quam, cum ad nos pertineat, ad suum consilium, iudicium arbitriumque, referri, uult. Itaque, cum, de vita eligenda ac in matrimonio degenda, est constituendum, haec duo in primis in consilium deliberationemque sunt adhibenda, animus nostrae facultatis conscius, et Deus ~~παρεδιογνώσης~~, omniumque nostrorum consiliorum atque studiorum testis. Ego uero, quod institui, explicabo, de coniugioque literatorum disputabo, ut intelligatur aliquando, quod plerisque fuit incognitum, aut dubium, eam vitae rationem a literarum studio non abhorrere, sed ei maxime congruere ac conuenire, cum, propter honestatem, tum etiam, propter multas ac magnas

vitae

uitae comoditates atque iucunditates. Atque, ut id cognoscatur melius, explicandum nobis primum est, quae et qualis sit professio literarum ac bonarum artium, quid suscipiat et efficere debeat. Etsi enim quaedam ante, de istius instituti studiique officio ac munere, a nobis dicta sunt, tamen, ut id, quod est propositum, facilius percipi possit, coniugium uitae literatae neque esse indecorum, neque importunum, non faciam incommode, si quaedam adhuc de ratione literarum dicam, paucisque ostendam, quod sit institutum eorum, qui se totos in optimarum artium studio posuerunt, quid suscipiant ac praestare debeat. Nam tum melius sciemus, quae sit conuenientia congruentiaque coniugii cum hoc studio literarum, cum, quale utrumque, ante perspexerimus, alterumque cum altero comparauerimus, sine quo nulla non modo matrimonii, sed, ne alterius cuiusdam rei ad alteram, adiunctio atque applicatio recte fieri potest. Ac de coniugii quidem dignitate, ui ac utilitate, supra est a nobis in genere disputatum. An uero coueniat huic professioni literarum, separatim quaerendum est. Ac illud in primis scire, oportet, quod ad omnis non modo instituti commendationem, uerum etiam munieris functionem, ualeat plurimum, et sine quo nulla uitae ratio Deo est grata, aut probata, huius instituti, quod in literis uersatur, Deum esse autorem, effectorem ac moderatorem, quem ad modum ceterarum rerum bona-

rum omnium , quas ipse instituit et hominibus  
 ad usum uitiae tribuit . Primum enim diuīs Paulus  
 doctrinam literarum , quam ille γνῶσιν λόγος  
 καὶ σοφίας dicit esse , in donis Dei numerat , et  
 παιδείαν , hoc est , eruditionem liberalem , in iis  
 ponit muneribus , quae ad ecclesiam instituen-  
 dam , uel , ut eius uerbo utar , aedificandam , di-  
 uinitus data sunt . Deinde ea est ipsius rei tum  
 dignitas , tum utilitas , ut , etiam , si nulla esset  
 in diuinis literis expressa de ea autoritas , du-  
 bitare tamen non possumus , quin studium li-  
 terarum , artiumque ingenuarum , et a Deo ,  
 optimarum rerum omnium autore , profectum fu-  
 erit , et in maximis eius beneficiis , quibus hu-  
 manum genus afficit , numeratum , et , omnibus  
 seculis , iis hominum iudiciis decoratum , quae ,  
 uel ad honorem , uel commodum , in res p̄ae-  
 claras atque utiles amplissima conferri solent .  
 Et id quidem merito . Non enim aliud est ui-  
 tiae institutum , aut studium , quod aut p̄aeclari-  
 us sit , aut magis fusas in omni uita habeat  
 commoditates , quam haec professio literarum ,  
 de cuius plurimis maximisque et ornamentis ,  
 et adiumentis , alias multa et saepe dixi , et  
 scripsi . Nunc ea fuerunt attingenda , ut huius  
 uitiae ratio et dignitas ea esse intelligatur , a qua  
 matrimonii coniunctio non aliena videatur . Pro-  
 fessio autem haec est et munus eorum , qui ad  
 bonarum literarum studium ita se contulerunt ,  
 ut acquiescant in eo , ut mentem atque animum  
 habeant iis rebus omnibus instructum et orna-  
 tum ,

rum, quae in literis traditae ac scriptae continentur, iisdemque rebus mores uitamque hominum instituant, atque ita eo instituto utantur, et ad Dei, a quo profectum est, gloriam, et ad humanae uitiae, propter quam est datum, utilitatem. Res porro, quae literis extant, comprehensae sunt, facultas politae et subtilis orationis, scientia multarum bonarum rerum, et ad communem uitiae usum pertinentium, humanitas, omnisque morum, ac uitiae et instituendae, et regendae, disciplina, uirtus denique et sapientia, quae ipsius uitiae ars est ac magistra, ad quam, cum ex omnibus animantium generibus solum homines naturam aptam habeant, nec tamen satis firmam ac ualentem, requirunt ea doctrinae adiumenta, quae in literis comparata continentur. Haec enim est uis ac facultas huius professionis, ut, quod in natura hominis ad sapientiam aptum est, et quasi iam inchoatum, id perpoliendum perficiendumque suscipiat, atque tale, quantum fert quidem natura, in omni uirtute sapientiaque, efficiat. Tria autem sunt, in quibus excolendis haec ars uitiae maxime elaborat, lingua, ingenium et uoluntas, quorum primum orationis elegantiam postulat, alterum rerum notitiam, postremum uirtutem. Nam hoc mihi quidem uidetur studium literarum profiteri et suscipere, ut eos, qui se ei erudiendos atque informandos tradiderunt, efficiat et in sermone elegantiores et prudentiores, et in omni uitiae actione munereque

audimp

nereque moderatores ac meliores, quam sunt omnes ceteri, quibus nulla liberalis literarum doctrina fuit adhibita. Quod si haec, quae proposuimus, in hoc hominum genere deteriora reperiantur, non est culpa professionis, sed uitium eorum, qui pulcherrimo instituto ad turpe otium et uoluptatem abutuntur. Tria autem sunt, quae, cum in omni disciplina atque arte, tum maxime in hoc bonarum artium studio, requiruntur, natura, quae nobilcum nascitur, usus, qui ex multarum rerum humanarum, uitaeque communis experientia comparatur, et doctrina, quae ex his studiis ac literis desumitur. Ad quae tria uel excitanda, uel conservanda, coniugium, recte institutum, tantum affert adiumentum, ut sine eo nec natura suum statum retinere, nec usus prudentiam habere, possit, nec doctrina eam ingenii atque animi culturam, quae summa in his studiis adhibenda est. De natura primum dicamus, quae etiam in primis desideratur, et, cum illa duo praecurrat necessario, eius ratio primum habenda est. Est enim in ea omnis artis disciplinaeque initium, et informata atque inchoata operis ratio, sine qua nulla res nec perfici, nec bene excoli, potest. Eius ratio duplex est. Nam, aut ad ualeitudinem bonamque corporis habitudinem referetur, aut ad honestatem. Vtrumque enim natura hominis desiderat, ut, et sibi bene sit, et honeste. Quorum alterum nobis cum brutis animalibus commune est, in quibus

quibus etiam inest appetitus ac sensus sanitatis, et eius, qui ex ea percipitur, iucunditatis, alterum praestantiae hominis proprium est, qui solus, ex omnibus animantibus, ad uirtutem atque honestatem natus est. Homo enim est particeps rationis, cuius cetera animalia expertia sunt. Sed, quantum ad ualeitudinem conducat moderatus coniugii usus, honestaque uxoris consuetudo, medicis et Physicis, qui ista profitentur, explicandum relinquo. Hi enim sciunt, quid hominis natura appetat, quid fugiat, quid ei sit commodum, quid alienum. Gulielmus Bigotius, qui, in medicis, ac physicis diligenter uersatus, summam harum rerum habet scientiam, aliquando promisit, se de coniunctione matrimonii usque eius necessario, scripturum. Necessarium, opinor, intelligit, sine quo homo non potest ualere. Itaque eam partem naturae, coniugium ad bonam corporis constitutionem appetentis, nos ei explicandam relinquamus, in quo ualde prudenter faciet, si, eam commoditatem ex legitima uxoris coniunctione, eiusque moderata consuetudine, petendam esse, doceat, et ea incommoda ostendat, quae ex liberis illis, ac dissolutis scortationibus humanis corporibus multa et magna afferuntur. Alteram autem partem, quae naturae hominis maxime propria est, cuiusque in his studiis maxima est habenda ratio, nos sumemus et ostendemus, honestatem ac dignitatem, ad quam homo natus est, nulla alia ratione melius uel

compa-

comparari, uel conseruari, uel amplificari, quam  
 honesta ac sancta uxoris societate, in qua homo  
 literatus non cum literis solum atque libris, sed  
 etiam cum uxore ac liberis potest honeste, graui-  
 ter, moderate temperanterque, uiuere, et e-  
 am existimationem retinere, sine qua nul-  
 la studia florere possunt. Nam ante satis  
 demonstrauit, quantum studium non modo  
 literarum, sed etiam uirtutis et dignitatis, in  
 hoc hominum genere esse debeat, quantaque cu-  
 ra sit adhibenda, ut id, quod profitentur, omni-  
 bus iis ornent rationibus, quibus aut professioni  
 autoritas, aut hominum benevolentia, parari  
 possit. Hoc enim est profecto uitae institu-  
 tum, quod nulla alia re uehementius, quam uir-  
 tute, nititur, nec ulla re magis efflorescit, quam  
 dignitate et uitae existimatione, quae nulla po-  
 test esse, nisi honestas existat, quae dignitatem,  
 quasi lumen quoddam, ex se gignit. Quare  
 istius uitae ratio ita est instituenda, ut ea tota  
 conferatur ad singulare uirtutis studium, atque  
 excellentem laudis cupiditatem, idque totum ad  
 gloriam Dei, et commendationem muneris re-  
 feratur. Ac primum de honestate, quae reti-  
 neri in coniugio possit, dicamus, deinde de ea,  
 quae illam necessario sequitur, dignitate. Et,  
 quoniam magna honestatis uis, ad praeclaram  
 opinionem uirtutis comparandam, in temperan-  
 tia pudicitiaque inest, sicut etiam turpitudinis par-  
 uis, ad infamiam atque hominum offendit, in  
 libidine et impudentia, de ea primum parte  
 dispu-

disputemus, cuius quidem conseruandae causa coniugium est comparatum, atque ostendamus, homines literatos non posse castius uerecundiusque uiuere, quam in ea ratione uitae, quam Deus, et ad libidinem continentiam, et ad pudorem refinendum, instituit, et omnibus, qui se non possint continere, mandauit. Est enim in coniugio moderato certa quaedam castitas, cum hi, qui hoc uinculo coniuncti sunt, maritus et uxor, Christianae modestiae memores, eo utuntur, non ad explendam libidinem, sed refrenandam. Usus enim honesti modestique coniugii is debet esse, qui est ceterarum rerum omnium, quae a Deo conditae sunt, et ad utilitatem hominum tributae, ut is uerbo Dei semper constituantur, et ad utilitatem necessariam, aut delectationem honestam ac moderatam, non ad libidinem intemperantem, et turpem uoluptatem, referatur. Nam tum nobis prodest id, quod a Deo est datum, si ex eo capiamus eum usum atque fructum, quem Deus nobis praescribit, et naturae necessitas requirit. Sanctificatur enim, ut \* Paulino uerbo utar, cum agnitione beneficentiae diuinae, a qua profectum donum est, tum etiam ea moderatione, quae in perfundo dono adhibetur. Coniugii autem natura ea est, ut non tam corporum uinculum sit, quam animorum, et, quod ex eo corpori tribuendum est, id magis ad libidinis remedium coercendae, quam ad licentiam explendae, ualere debet. Quare,

fi

*1 Corinth. VII.*

si huius coniunctionis uis ac institutio recte intelligatur, et in ea perfruenda is modus adhibeat, qui in ceteris Dei muneribus tenendus est, ut ad necessarium uitae usum referatur, poterit, mea quidem sententia, talis uitae ratio atque moderatio bonis omnibus approbari, et, pudicitiae castitatisque nomine, cum apud homines, tum etiam apud Deum, commendari. Atque hanc quidem castitatem possunt habere omnes, qui animum habent, et liberali literarum doctrina excultum, et Christiana religione temperatum, cum illa virginum castitas paucorum sit hominum, et eorum solum, quibus Deus naturam quandam singularem dedit, non omnium communem, neque late patentem. Magna enim uis est doctrinae elegantis in conformandis moribus, temperandisque ingenii, maxima uero eius Spiritus, qui a Deo nobis est datus, qui, cum sit sanctus ac diuinus, ipsum hominem mirabiliter immutat, naturamque, etiam intemperantem, potest moderatissimam reddere. Quod si aliquis, in literis ingenue eruditus, et in timore ac reverentia Dei pie institutus hunc Spiritum, in moderanda uitae ratione, autorem et ducem sequatur atque audiat, ut magistrum ac monitorem, in eoque instituto et studio, ad quod est a Deo deductus, diligenter uersetur, dubitandum non est, quin possit ita uiuere, ut et apud Deum, et apud homines, illustrem pudoris ac modestiae laudem obtineat, et summam gratiam ineat. Vtra autem castitas maiorem laudem gloriamque

riamque apud Deum pariat, eorumne hominum,  
 qui in coelibatu integre ac caste uiuunt, an con-  
 iugum, pudice, temperanter sobrieque, uiuenti-  
 um, theologis disputandum relinquo. Illud  
 tantum dico, uiam coniugum, pudoris, modestiae  
 ac temperantiae, plenam, quam praesertim pie-  
 tas timorque Dei talem efficit et regit, Deo at-  
 que hominibus maxime gratam esse, et probatam.  
 Nec uero hanc sancti coniugii moderationem  
 ac pudicitiam literae ac Musae aspernantur,  
 quae a poetis castae uirgines esse dicuntur, nec  
 earum princeps, atque omnium honestarum ar-  
 tium inuentrix, Minerua, tametsi coniugio nun-  
 quam, ullaque uiri consuetudine uia fuerit,  
 perpetuoque uirgo uixerit. Ea uero, et Musae  
 ac literae, hanc pudicam, modestam ac sanctam,  
 uxor et mariti consuetudinem uehementer  
 et amant, et approbant, et, sibi honori ac di-  
 gnitati, esse putant, atque etiam multo magis,  
 quod, in summa potestate eius rei, qua libido  
 expleri potest, magnam moderationem conti-  
 nentiamque intuentur atque admirantur. Illius  
 uero uitae, quam plerique degunt in omni car-  
 nis intemperantia ac turpitudine, eas omnino  
 pudet, et cum huiusmodi hominibus flagitio-  
 sis commercii aliquid habere, nec uolunt, nec  
 possunt. Etenim, quomodo fieri potest, ut,  
 quod ante de societate, quae hominibus cum  
 Deo est, diximus, inter eos ulla esset coniun-  
 ctio, et uirae studiorumque communicatio, in-  
 ter quos tanta naturae ac morum dissimilitudo

F

diff-

differentiaque existit. Musae enim castae, pudicae, uerecundae, uirgines dicuntur. Ipsa tota ratio literarum plena est modestiae, pudoris omnisque honestatis. Quomodo igitur eorum hominum tam discrepans ac repugnans uitae ratio, tam foeda et dissoluta uiuendi consuetudo, cum hac Musarum uerecundia, literarumque elegantia et dignitate, conueniret? Quod commercium impuri libidinosique homines cum Musis castissimis, et literis elegantissimis, habere possent? Quomodo ad sanctissima Musarum adyta auderent accedere, aut quibus oculis eas intueri, aut quo ore cum illis colloqui, homines, tantaे impuritatis ac foeditatis sibi concipi? Quid uero dignum literis, earumque autore, Deo, cogitarent, aut scriberent, aut docerent, aut omnino facerent et dicerent, qui mentem atque animum habent foeditissimis cogitationibus studiisque occupatum? Nec uero id faciunt, nec literas amant, quorum animus turpissimis est implicatus amoribus, sed eas refugiunt ac ueren-  
 tur, tametsi omnem pudorem, simul cum pudicitia, abiecerint, tamen, cum in mentem uenit tam diuersa uitae ratio, tanta ingenuae doctrinae atque impuriae discrepantia, non potest eos non pudore, praesertim, cum ipsas literas habeant seueras uitae magistras, quas, quoties adeunt, audiunt, uident, toties, suos mores infames, et turpia studia grauiſſime reprehendi, uident. Quare, cum eiusmodi uitae flagitiosae et conscientiam testem grauem habeant, et literas aſperas

speras accusatrices , a quibus sua probra quotidie audiant , fieri nullo modo potest , ut studium ullum erga bonas literas habeant , et eam tranquillitatem mentis , quam haec studia postulant . Quomodo enim aut amarent literas , earumque studio delectarentur , a quarum doctrina praeceptisque ita abhorrent , et quibus se inuisos , propter talem uitam , sentiunt , aut mentis quietem conseruarent , quam grauissimo conscientiae testimoniō , maximoque tormento , perturbatam habent ? Postulat autem ea ratio , cum acre studium summumque in literas amorem , tum uero maximam animi securitatem et libertatem , quae nulla potest esse , cum ipse animus aut turpissimis studiis est distractus , aut grauissimis conscientiae tormentis agitatus . Sentiunt pii ac uere studiosi , etiam in leuioribus peccatis , non illam modo animi perturbationem , uerum etiam literarum occultam quandam offenditionem , tacitamque reprehensionem , quae illos neque animo sinit quiescere , nec cum literis in gratiam redire , donec id , quod est commissum , correxerint , uitamque , honestissimo studio dignam , toto animo susceperint atque constituerint . Est enim in optimis etiam literis ea natura , ut zelotypia moueantur , uelintque , singulariter , et paene unice , amari ab iis , qui se illis dediderunt , eumque amorem castum atque integrum conseruari , nec in ullos alias conferri , nisi in eos , qui ab ipsis non abhorrent , id est , in bonos , pios ac modestos . Ut uero studium

F 2

animi

animi ad turpes amores foedasque libidines  
 conuertatur, nullo pacto ferre possunt. Sunt  
 enim natura non solum ipsae elegantes, politae,  
 liberales ac honestae, uerum eius elegantiae, de-  
 coris et honestatis, in aliis appetentes amantef-  
 que, hoc est, ut Graeci dicunt, Φιλόκαλοι. Et  
 quemadmodum accidit ἐν τοῖς ἔρωτικοῖς, ut  
 displiceant, quae sunt deformes, immundae,  
 proteruae, impudicae, maxime uero placeant  
 pulchrae, mundae, elegantes, modestae ac uere-  
 cundae; ita usu uenit in studiis ingenuarum li-  
 terarum, ut, uitae turpitudine morumque de-  
 formitate, magna earum fiat offensio atque alien-  
 atio, uitae autem honestate, maximeque mo-  
 destia ac uerecundia, admirabilis ipsarum amor  
 studiumque exardescat, atque eo multo magis,  
 quo praestantior est animorum amor, quam cor-  
 porum, excellentiusque iudicium literarum de  
 pulchritudine uirtutis, quam aliorum hominum  
 de uenustate corporis. Hanc autem offensio-  
 nem, et a literis alienationem, studiosi ac mo-  
 desti sentiunt tum facile, cum aliquod commi-  
 serunt, quod neque doctrinae, nec professioni,  
 est consentaneum, et maxime, si ea in re pec-  
 carint, quae cum aliquo flagitio corporis in-  
 quinamentoque coniuncta fit. Nam tum qui-  
 dem tanta solet fieri ipsius animi a literis abali-  
 enatio, ut illis reconciliari uix, aut magno cum  
 labore, posse uideatur. Est enim hoc corpus  
 nostrum, ut Spiritus sancti templum quoddam  
 existimandum, \* ita ingenii atque mentis domi-  
 cilium,

\* 1 Corinth. VI.

cilium, quod et Deus, et ipsae literae, uolunt, mundum, sanctum, incorruptum, seruari, neque potest flagitiis ullis maculari, sine maxima aut offensione spiritus, aut perturbatione mentis. Quanquam sunt aliqui, qui diuturna flagitiorum consuetudine ita sunt affecti et confirmati, ut, quod Paulus de impiis ait, sint plane ἀνάγκητοι, hoc est, prorsus obstupescant, atque omni sensu turpitudinis careant. Quidam etiam sunt, qui ad eam uitiae rationem flagitiosam adiungunt opinionem impiam, itaque existimant, eam uitam nec alienam esse a professione, et a Deo concessam. Quorum hominum neque uita contaminata a morte distat, in qua nullus est sensus eius rei, cuius in aliis est acerrimus, neque mens corrupta a natura beluarum, quae tantam foeditatem non possunt intelligere. Sed hi, quamvis conentur naturam humanam exure, eiusque omnem sensum abolere, nullo tamen modo possunt unquam facere, ut, aut cum Deo, aut cum literis, pacem habeant, aut mentis quietem retineant, quae in illis multis foedisque maculis est inquinata et conturbata. Vita uero eorum, qui se in matrimonio locarunt, in eoque modeste, sobrie ac pudice, uiuunt, adeo literae delectantur, ut huiusmodi societatem uehementer expetant, et sibi tales uehementer adiungant, atque in numero coniugum et esse, et haberi, gaudeant. Nam, etsi sunt virgines, in eoque coniugatis dissimiles, tanta tamen est morum uitaeque similitudo ac conuenientia.

nientia optimarum literarum , et sanctorum coniugum , ut nihil possit esse nec coniunctius , nec congruentius . Quamobrem ii literati , qui in coniugio et studio ita se gerunt , ut nullum uestigium libidinis in eorum uita et moribus appareat , neque Deum metuant , propter conscientiam , neque literas refugiunt , quas suae uitiae piae ac modestae habent testes et laudatrices , sed in eo instituto ita uiuunt , ut in eo conquiescant , et ea omnia cogitent , et scribant , et doceant , quae tam praeclaro studio ac munere sunt dignissima , et reipub. utilissima . Ac de hac quidem uirtute satis fit dictum , quae huic hominum generi maxime conuenit , et magnam commendationem parit . De reliquis uero uirtutibus , quae pertinent ad honestatem , pauca etiam dicamus , grauitate , constantia , iustitia , fide , omnique probitate , quae , cum in omni uita , tum maxime in hac studiosa ac literata , uigere debent , ad quod ostendendum , quid opus est longiorem orationem comparare ? Quis est enim , qui dubitet , quin is aut grauius ac constans , cum in omni uita , tum in studiis , sit uersatus , qui grauem constantemque disciplinam domi suae constituerit , in eaque se , uxorem liberosque suos , cum summa Dei reverentia , continuerit , quam is , qui , omni cura disciplinaque domestica solutus , liberius ac dissolutius saepe uicit , aut iustius uicturus , et studiosius humani generis societatem seruaturus , qui priuatam domesticamque diligenter coluerit , a suisque principi-

principia naturae ad alios duxerit, in hisque iura humana didicerit, nec sibi soli se natum esse, sed patriae etiam, liberis, parentibus, amicis, quam is, qui, in uita illa solitaria, uiuens sibi soli, quid humana societas communisque uita postuleret, ne cogitare quidem potuit? Denique, quin is fidem, beneficentiam, liberalitatem ceteraque officia, quae hominibus tribuenda sunt, persecuturus sit melius, qui in suis ea iam est diligenter meditatus, quam is, qui coelebs perpetuo uiuit, expers domesticae charitatis? Et enim haec iura et officia societati hominum tum praestantur melius, cum, a domestica priuata que coniunctione et charitate, profecta ad alios, non modo ciues, sed etiam peregrinos, omnisque generis homines, diffunduntur. Prima enim societas hominum atque coniunctio est in ipso coniugio, ex quo primum, tanquam ex quodam seminario, liberi, propinquui, affines, existunt, deinde omnes ciues propagantur et inter se confociantur. Neque solum coniugium principium est reipublicae et seminarium, uerum etiam, cum est bene constitutum, omnis iustitiae fundamentum, neque unquam erit ulla bona respublica, in qua nulla ratio matrimonii habetur. Tum enim flagitia, tum scelera, omnia nascuntur, cum, omni pudore sublato, ruant homines, tanquam ferae, in promiscuos concubitus, nec ullo certo ac legitimo amore ac charitate, uel coniugum, uel liberorum, implicantur. Et omnino humanam

societatem tollunt , qui hanc coniunctionem tollunt , aut imminuunt . Nulla enim est tanta hominis ad hominem adjunctio , quanta est uxoris ad maritum , aut liberorum ad parentes , hacque sublata charitate , nullum ius humanae societatis saluum relinquitur . Quare coniugium honestum non domesticae solum , sed etiam ciuilis , coniunctionis uinculum est existimandum , quo dirupto , necesse est , dissolui omnem humanam societatem , praestantissimamque uirtutem , iustitiam , tolli , atque etiam pietatem ac religionem . Nam , fieri nullo modo potest , ut aut Deo pius cultus tribuatur , aut iustus amor proximo , sublato , uel etiam neglecto , eo uitiae instituto , in quo et Deus maxime uult honorari , et homines plurimum possunt adiuuari . Iam quid dicam de prudentia , quae in uirtutibus etiam ponitur , et usu rerum , quem , cum natura et doctrina , in studiis literarum necessarium esse , supra diximus ? At , quem usum is habere poterit , qui , in illo otio ac solitudine , latet semper abditus , neque in communem hominum societatem consuetudinemque ciuilem unquam prodit ? An non multo maiorem is acquirit , qui in priuatis domesticisque rebus est uersatus , qui iam domi in sua familia sentit ac didicit , quid natura et consuetudo hominum requirat , qui , in se , uxore , liberis , totaque familia instituenda et regenda , est expertus , quae in literis , de natura hominum , de moribus , de totius uitiae degendae ratione , a doctissimis prudentiali-

dentissimisque hominibus scripta sunt. Itaque licet uidere, eos, qui uiuant in matrimonio, multo esse prudentiores, et ad communem uitam aptiores, quam sunt ii, qui, in solitario illo otio, perpetuoque coelibatu, totam uitam consumunt, qui, propter insolentiam atque infiditiam earum rerum, quae in uita uersantur, omnium sunt ineptissimi, in humanisque rebus peregrini quidam ac hospites esse uidentur, quo quid turpius et literis indignius esse potest? Nam, antea quidem satis demonstrauimus, quanta excellentia orationis tum elegantis, tum prudentis, in iis esse debeat, qui ad haec studia se contulerunt, quantaque de eorum uel ingenio, uel consilio, hominum opinio atque expectatio esse soleat. Sed, nisi is, qui in omni re plurimum potest et magistros efficit, in optimis disciplinis usus accesserit, non sane video, quomodo illa, quae literis extant scripta, aut bene percipi, aut ad aliquam utilem uitae rationem recte adhiberi, possint. Neque est quisquam, qui certam habere possit scientiam earum rerum, quae in uita uersantur, nisi in uita uersatus fuerit, multaque in ea expertus. Atque hanc quidem experiendi facultatem maiorem habent mariti, quam coelibes, qui in priuato illo ac otioso studio ita se abdunt aliquando, ut, quid in uita, uel domestica, uel ciuili, soleat fieri, ibi nihil intelligant, nec ipsi inde magnum fructum ad communes hominum necessitates perferant. Non illud repetam, quod supra dixi,

plerisque esse, qui illo otio et solitudine magis  
 utantur ad uoluptates percipiendas, quam ad  
 literas excolendas, ad animumque mollitie po-  
 tius effeminandum, quam ad ingenium liberali  
 doctrina conformandum et confirmandum. Nos,  
 hoc in loco, de usu rerum loquimur et pru-  
 dentia, quae nulla alia ratione potest melius aut  
 parari, aut confirmari, aut omnino conseruari,  
 quam ea uitiae disciplina, de qua ante diximus,  
 quae, cum in omni uirtute, omnique uitiae  
 officio, sit posita, tum maxime in temperantia,  
 continentia ac moderatione, cum cupiditates  
 hac summa ratione continentur, in omnibusque, et  
 factis, et dictis, et consiliis ac cogitationibus, is  
 modus adhibetur et ordo, ut optimus naturae sta-  
 tus conseruetur, mentisque constantia et tran-  
 quillitas retineatur. Neque enim fieri possit,  
 ut ii aliiquid prudenter uel cogitent, uel dicant,  
 uel faciant, qui in omni intemperantia uolu-  
 ptatumque licentia uitam ducunt. Neque omni-  
 no est aliud, quod uniuersam hominis naturam,  
 et praecipue vim mentis atque ingenii, magis  
 euertat et extinguat, quam studium uoluptatum  
 immoderatum, neque, quod studio literarum  
 ac optimarum artium magis repugnet, sapien-  
 tiaeque percipiendae plus obsit, quam uita in-  
 temperans et dissoluta, ea praesertim, quae fla-  
 gitiosis libidinibus totum corpus contaminat at-  
 que eneruat. Quare recte D. Paulus, \* huius-  
 modi homines in corpus proprium peccare, dicit.  
 Cor. IV.

Quod si corpus hac carnis intemperantia laeditur, quid de animo dicemus? Qui, cum sit ex coelo ortus, et a Deo hauitus, in ipso corpore, quasi in domicilio ac templo quodam, ab eo, qui genuit, locatus est, ad cuius quidem coelestem diuinamque naturam tum conseruandam, tum excolendam, permagni refert, quo in corpore inclusus agat, quasique in domo quadam habitet. Itaque, quod Paulus in ecclesia omnibus piis praecipit, ne corpus suum stupris polluant, sed in omni conseruent sanctimonia, propterea, quod Spiritus sanctus in eo, tanquam in quodam templo habitet, hoc etiam praecipiendum est iis, qui in studiis humanitatis liberaliumque artium ingenui atque honeste uerlari uolunt, hique omnes sunt admonendi, ut corpus suum, quasi delubrum, ingenio ac menti consecratum, habeant, nec ulla re corrumpant, qua animi uis aut retardari, aut deprauari, aut omnino extingui, possit, sed potius contineant cupiditates, in primisque libidinem impudicam, sintque non solum in cibo ac potu sobrii, uerum etiam reliquo corpore casti ac pudici, et ita inferuant corpori, ut sine flagitio ac dedecore, et ualetudinis, et mentis, maximam rationem habeant. Nulla enim est res, quae mentis aciem melius expurget, ad sapientiaeque studium magis exacuat, quam animi moderatio, et temperantia in moderandis uoluptatibus corporis. Itaque hanc uirtutem, quae cupiditates continet, Socrates, apud Platonem, ait, esse nominatam  $\sigma\omega\varphi\sigma\tau\eta\pi\pi$ , quasi  $\sigma\omega\varphi\sigma\eta\pi$ .

οὐσίαν τὴν Φρόνησιν, propterea, quod prudential conseruet, quae nulla esse potest, nisi natura hominis conseruetur, maximeque ea pars, quae eius unius propria est, et ad uirtutem atque sapientiam apta, cui nihil in rerum natura tam est inimicum ac infestum, quam uoluptas, blandissima domina, in primisque ea, quae cum inquinamento corporis coniuncta est. Nulla peccatis est, quae tam noceat corpori, quam ingenio haec uoluptas, quae etiam in iusto legitimoque coniugio uim mentis laedit, si est immoderata, in nefariis uero et uagis scortationibus, omnes vires, tum corporis, tum animi, plane labefacit atque corrumpit. Quare, si quis uult naturam in sua integritate et praestantia, praecipueque partem eam, in qua excolenda elaborant literarum studiosi, debet cupiditates continere, cum animi, tum etiam corporis, eamque in primis uoluptatem, quae magis coelibes, quam coniuges, infestare solet. Neque solum in coniugio naturae nostrae inferuimus, mentisque prudentiae consulimus, uerum etiam et offendit uoluntatem hominum uitamus, et existimationem uitae retinemus, quam, antea diximus, doctis hominibus non negligendam. Ea autem maxime comparatur ea uirtute, de qua supra dictum est. Nam, quem ad modum iniustitia uiolantur homines, cum in ipsorum aut rem, aut corpus, aliqua sit iniuria, ita immodestia impudentiaque offenduntur, cum in moribus ac uita alicuius appareat turpitudo, quam animi, praesertim bonorum, uidere

uidere nullo modo possunt. Itaque, sicut iustitia neminem laedit, sic uerecundia nullum offendit, cauetque omnia, quibus, tanquam foetore, homines auertuntur, et ea suscipit, et agit, quae, cum sint decora ac modesta, hoc est, hominis naturae congruentia, benevolentiam hominum, cum approbatione, merentur. Adhibet enim haec uirtus reuerentiam, cum erga omnes, tum praeципue erga optimum quemque, studetque, bonis uiris ac doctis in primis approbari. Sed pudoris commendatio nusquam maior est, quam in moderato sanctoque coniugio, cum ipsi coniuges, Deum habentes ante oculos, ita uiuant modeste ac caste, ut in coniugio pudicissimum coelibatum profiteri uideantur, cum hi, qui coelibes dicuntur, eam edant uitam, quam omnes nouerunt, tantumque pulcherri-  
mum nomen coelibatus impurissimis moribus praetendant. Sed, nulla sunt integumenta, nulla tam speciosa sanctitatis fictae nomina, quae possint illorum flagitia occultare, et ea iudicia hominum mutare, quae de illis iam diu facta sunt, ac fiunt quotidie. Ea enim est communis, ac iam longe lateque peruagata, opinio, quod coelibatus in plerisque nihil aliud sit, quam praetextus impudicitiae, et species quaedam uirginitatis, ad libidinem tegendam maxime accomodata. Alioqui nescio quo modo fiat, ut, et si haec, tam diversa, morum ratio, in utroque hoc hominum genere non sit, altera honesta, altera infamis, uiuantque utriusque peraeque honeste, tamen melius

lius semper homines sentiant de coniugatis , quam coelibibus , quos , etiam honeste pudiceque uiuentes , uix possunt liberare suspicione earum rerum , ad quas , sentiunt , seipso esse propensos , alios uero tum , putent , grauiter ac moderate esse uicturos , cum id uitae genus sunt amplexi , quod , ad honestatem retinendam , comparatum diuinatus esse , arbitrantur . Quanquam , in hoc etiam genere , sunt aliqui flagitiosi et adulteri , quorum libidines effrenatae non continentur in coniugio , sed foris scelerate peruagantur , qui tamen , si essent uerbo Dei instituti et admoniti , melius uiuerent . Verum , nos hic ostendimus , non , quid a quibusdam , sed , quid ab omnibus , aut pluribus , solet fieri , nec , de aliquibus , sed , de toto ipso genere , iudicandum , dicimus . Dubium autem non est , quin facilior ratio grauiter continenterque uiuendi proposita sit in coniugio , quam in coelibatu , pluribusque hominibus ad honestam opinionem , cum omnis uirtutis , tum maxime moderationis et grauitatis , locus in eo pateat , in quo quidem innumerabiles homines , omnibus aetatibus , honestissime uixerunt , non ex gentilibus solum , docti , sed etiam ex nostra religione , pii ac sancti , Abraam , Isaac , Iacob , Moses , Dauid , aliqui etiam Apostoli , hodieque sunt paene infiniti , qui , cum summa sua dignitate et Dei gloria , in hoc uitae instituto acquiescunt . Paulus \* etiam , cum describit atque eligit bonum episcopum , hoc in uitae genere uersatum

\* *1 Tim. III.*

et

et probatum, eligendam, dicit, esse. Nam, cuius prudentia, industria, grauitas ac integritas, in familia regenda continendaque, fuerit perspecta, eum idoneum, putat, qui domum Dei, hoc est, ecclesiam, gubernet. Quod iudicium Pauli, non in ecclesiasticis solum magistratibus, est uerum, sed etiam in politicis, ut ii semper rebus alienis, aut communibus, recte sint praefuturi, qui in suis et priuatis recte uersati fuerint. Habet enim oeconomia paruae reipublicae quandam imaginem, in qua primum pater familias, tanquam rex quidam, est, deinde eius uxor, mater familias, est domina, atque eius imperii socia, tum liberi et reliqui domestici, quasi cives sunt, quibus illi praefunt, quos cum bene regunt, atque in omni graui constanteque disciplina continent, cumque conseruant et amplificant rem familiarem, magnam commendationem, tum prudentiae, tum grauitatis ac moderationis, afferunt, ad res maiores grauioresque administrandas. His uero studiis, de quibus nunc loquimur, maiorem autoritatem et dignitatem affert modestia et industria alicuius literati, in coniugio cognita, quam eadem in illo coelibatu, in quo, tanquam in solitudine, aut obscuritate, non potest tam illustris claraque existere. Quamobrem puto, nunc satis intelligi, coniugium ab studio literarum non esse alienum, tum, quia utrumque a Deo ita esse institutum, ut alterum cum altero non indecorè coniungi possit, tum etiam, quod in ea coniunctione huiusmodi

uita

uita potest degi, quae et Deo honori sit, et literis dignitati. Hoc adhuc melius intelligetur; cum fuerit demonstratum, quale coniugium hominis studiosi, qualemque uxorem eius esse, oporteat, in quo etiam non solum honestatem istius uitae cognoscemus, uerum etiam utilitatem, quae erat altera pars huius disputationis meae. Primum igitur uideamus, qualis uxor eius hominis, de quo loquimur, esse debeat, deinde exponemus eas commoditates, quae ex coniugio bono ac moderato consequuntur. Ac principio illud quidem hac in re recte praecipitur, ut, qui habet in animo uxorem ducere, is prius deligat, quam diligit. Nam nullum aliud est uitae genus, in quo eligendo ac constituendo maior fit adhibenda uel prudentia, uel diligentia. Alia enim instituta uita atque studia, postea, quam sunt suscepta, possumus deponere, cum nobis non uidentur, aut naturae nostrae, apta esse, aut rationibus nostris commoda, neque, in aliquo eorum commutando, in ullam aliam reprehensionem incidimus, quam aut imprudentiae in diligendo, aut inconstantiae in deponendo. A coniugio uero, semel instituto et suscepto, nulla potest fieri dissensio, sine summo scelere, et ea impietate, quae maximis fit poenis vindicanda, nisi id accidat, quod coniugium uiolat et dissipat, quod Christus in euangelio \* solum exceptit. Cum enim

semel

\* *Matth. V et XIX, Marci X, Lucas XVI.*

semel hoc genus uitae est suscepsum , in eo aut  
 cum molestia infinita , aut laetitia perpetua ,  
 manendum est. Quare in eo instituendo sum-  
 ma tum cautio , tum diligentia , est adhibenda ,  
 quod male institutum affert coniugibus non ful-  
 titiae solum , aut negligentiae , uituperationem ,  
 sed molestiam etiam et poenitentiam sempiter-  
 nam. Itaque illud Publili Mimi praeceptum ,  
 quo monemur , ut ea in re diu deliberemus ,  
 quae semel facienda est , cum in omni uitae ra-  
 tione atque actione suscipienda multum ualeat ,  
 tum in ineundo coeundoque coniugio plurimum ,  
 quod nullam habet mutationem , sed , aut poe-  
 nam temeritatis perpetuam ac grauem , aut cor-  
 rectionem ualde difficilem. Atque eo etiam  
 homini studioso est diutius diligentiusque delibe-  
 randum , quo magis metuendum est , ne tran-  
 quillitas otiumque studiorum perturbetur , ac-  
 cersita et adiuncta ea uxore , cum qua nec satis  
 honeste , commode iucundeque , possit uiuere.  
 Sed paruam existimo prudentiam consilii nostri  
 fore , nisi cum ea summam Dei prouidentiam  
 coniungamus , immo uero , ipsum Deum autorem  
 atque gubernatorem coniugii nostri statuamus ,  
 eumque et consulamus , ut in re obscura du-  
 biaque erudiamur , et inuocemus , ut in pericu-  
 losa adiuuemur. Sine hac quidem diuina aut  
 consilii communicatione , aut auxilii petitione ac  
 inuocatione , nulla neque deliberatio diuturna ,  
 neque electio accurata , magnopere unquam pro-  
 futura est. Nec ulla , non modo coniugii , sed ,

G

ne

ne alterius quidem cuiusdam rei, institutio atque suscep<sup>t</sup>io potest succedere. Etenim Deus unus est, qui instituit hoc uitae genus, qui masculum et feminam coniunxit, \* qui, ut mundum regit uniuersum, ita coniugium, pulcherrimam optimamque mundi partem, moderatur, in quo quidem, si ex sententia ac uoluntate Dei sit suscep<sup>t</sup>um, tanta extant Dei beneficia, quanta in nulla alia institutione uitae, sin aliter instituatur, ea apparent neglecti Numinis iudicia, quae ad metuendum Deum atque inuocandum omnes uehementer commouere debent. Romani ueteres res omnes graues, quas suscipiebant, non solum publicas, sed etiam priuatas, in iis maxime coniugia, ab auspiciis et precatione ordiebantur, eiusque rei negligentiam, aut etiam prae-termissionem, nefariam arbitrabantur. Nos Christiani, qui non falsa et obscura, ut illi, sed uera ac clara, auspicia habemus, in uerbo Dei posita, tanta in re negligentes erimus? An non cum eo communicabimus, eiusque implorabimus opem, a cuius manu bona uxor proficiscitur ac datur, cuius prouidentia tota haec coniugatae uitae ratio, in bonis ac piis uiris, maxime et instituitur, et gubernatur, et omni genere bonorum cumulatur? Atque haec quidem negligentia inuocandi Numinis, uidemus in plerisque coniugibus, quantum noceat, in quantasque molestias et miseras multos homines adducat, qui, aut amore libidinoso incitati, aut tur-

pi

\* Matth. XIX.

pi pecuniae studio , commoti , aut sua etiam  
 confisi nimia prudentia , eam alsciscunt in uitae  
 societatem , qua cum nec sancte , nec amanter  
 ac concorditer , nec suauiter , possunt uiuere ,  
 quae eorum uita perturbata et misera facit , ut  
 permulti putent , coniugium studio literarum at-  
 que otio non satis esse accommodatum . Ve-  
 rum nos hic de non uulgari matrimonio loqui-  
 mur , sed hominum doctorum et piorum , qui  
 eam uitae rationem non ingrediuntur aut im-  
 pudice , aut auare , aut etiam confidenter , sed  
 sapienter ac reuerenter , cum inuocatione eius ,  
 qui istius totius rei institutique praeclarci autor  
 est . Nam , quoniam doctrina liberali et pia in-  
 genium habent excultum , debent esse et in ap-  
 petendo moderatiores , et consideratores in ca-  
 uendo , et uero in Deo colendo inuocandoque  
 diligentiores , quam sunt alii , quorum animi  
 nec doctrina literarum , nec religione , imbuti  
 sunt . Quare studiosi omnes hoc teneant in pri-  
 mis , ut , cum de ducenda uxore deliberant , ante  
 omnia Deum caste adeant , et libere tanta de re  
 consulant , omneque animi propositum atque  
 consilium ei familiariter exponant , eiusque pe-  
 tant eam tum benigitatem , tum opem , quam  
 ab initio mundi , cum coniugium instituisse , pi-  
 is hominibus promisit . Est enim a Mose ita  
 scriptum , Quod Deus , posteaquam uirum et  
 feminam uinculo isto coniunxit , illis bene  
 dixit , hoc est , se illis affuturum , eorumque con-  
 iugium adiuturum fortunaturumque , promisit ,

G 2

quae

quae quidem promissio , a principio primis illis  
 humani generis parentibus facta , postea omnibus  
 seculis ualuit , in coniugio eorum , qui  
 Deum, autorem eius uitae, cognouerunt, in ea  
 que instituenda inuocauerunt , et, iam instituta  
 ac sucepta, pie coluerunt , ualebitque perpetuo  
 in iis coniugibus , qui hac mente eam uitae ra-  
 tionem ingrediuntur , et ingressi in ea uersan-  
 tur. Cum autem nullius rei nec grauior , nec  
 difficilior , incidat deliberatio , quam haec , de  
 uxore ducenda, consultatio , id, tali in tempore  
 et re , est faciendum , quod propheta , harum re-  
 rum , scientissimus , in hisque maxime uersatus ,  
 praecipit ac monet , ut tota cura et animi soli-  
 citudo domino committatur , atque in eius uol-  
 luntatem euentus nostri totius consilii instituti-  
 que permittatur. Is enim tum omnia faciet ,  
 et petitionem nostram exaudiet , quae debet  
 esse eiusmodi , ut is , cuius summa est hac in re  
 tum potestas , tum prouidentia , nobis eam det  
 uxorem , qua cum uno eodemque spiritu con-  
 iuncti , ipsum pure colere atque honorare in  
 hac societate possimus. Hic enim est finis bo-  
 ni sanctique coniugii , cultus Dei et honos , in  
 una familia , quasi in parua quadam ecclesia , a  
 coniugibus , liberis ac omnibus domesticis , ce-  
 lebratus. Atque haec praecipua causa , bonos  
 et doctos viros , ad coniugium uehementer com-  
 mouere debet , ut , quoniam non bonum est ,  
 ipsum hominem esse solum , \* habeat secum  
 eam ,

\* Gen. II.

eam, quae religionis pietatisque sit socia, et particeps, et adiutrix, cum qua, uno spiritu ac fide, Deum, creatorem suum, inuocet, eiusque in conspectu uitam integrum sanctamque traducat. Neque est dubium, quin, si hoc animo coniugium expetatur, et ad illud suscipiendum, constituentur purae preces adhibentur, Deus adsit et eam uxorem det, qualem nullius hominis aut prudentia, aut diligentia, reperire, aut praepotentis alicuius autoritas gratiae dare, posset. Diues quidem et formosa, aliisque rebus eiusmodi ornata, humanis uel consiliis, uel studiis, inueniri posset. Sed, quae cum nostris probis ac piis moribus conueniat et congruat, quae in religione, cultuque Dei, nobiscum consentiat, quae nos adiuuet, ea est praestans ac singulare donum ipsius Dei, suis, hac in parte uitae, et fauentis, et consulentis. Quid autem maius, aut melius, in hac quidem vita traducenda, homo a Deo optare posset, quam optimam sanctissimamque feminam et fidelissimam uxorem, quae non sit lecta, ut Romani olim loquebantur, ab hominibus, sed ab ipso Deo, cuius neque prouidentia in deligendo falli potest, neque uoluntas in dando fallere? Atque huius diuini beneficii magnitudinem si quis non intelligit ex commoditate suauitateque uxoris piae ac modestae, certe ex incommoditate atque amaritudine uxoris immodestae facile intellegit. Quid enim est improba muliere et immodesta importunius atque intolerabilius? Quid

G 3 ANNA acerbius,

acerbius, quam uita plena dissidiis atque odiis, in qua non tam coniugium ineſt, quam diuortium quoddam animorum? Quid uero miserius, quam, cum ea uiuere, quam nec honeste possis dimittere, nec commode tecum retinere? Cuius uitiosissimi mores cum nulla ratione corrigi possunt, necessario ferendi sunt. In hac quidem tam incommoda et amara coniunctione, nihil aliud habes, quam ut Socrates de sua Xanthippe solebat dicere, Malum domesticum, perpetuum tuae patientiae exercitium. Quanquam sunt complures uitiosiores, quam illa Xantippe, quae ita asperis erat moribus, ut maritum tamen suum unicè diligeret, eique egregie fidelis esset. Salomon \* quidem uxorem molestam ac iurgiosam recte comparat tecto pertuso atque ubique persistillanti, et vulgo apud Graecos iactata sententia, cum duobus maximis malis, ignis conflagratione et aquae inundatione, coniungit tertium, improbitatem mulieris. Quare, ne aliquis, praeſertim studiosus ac quietus homo, in hanc tantam molestiam et miseriam incidat, in primis ac semper orandus est Deus, ut eam rem totam fuscipiat, et regat, eamque adiungat nobis, cum qua in Christiana religione coniunctissime atque integrerrime uiuamus, ut utriusque uita sanctaque consuetudo nihil sit aliud, quam honorifica omnibusque testata confessio eius, qui illos copulauit, et perpetua gratiarum actio. Ad hanc enim gloriam Dei tota est referenda illa coniunctio.

\* Proverb. XXVII.

etio matrimonii , sed haec laus Dei ex honesta  
uita coniugum non potest consequi , nisi pia , et  
accurata , ac perpetua , ipsius Numinis praeces-  
serit inuocatio . Deus dat probam uxorem , et  
beatam uitam promisit coniugibus . Huius igi-  
tur rei tam praeclarae et petitiones , et gratia-  
rum actiones , ad illum sunt referendae , ut  
quem ad modum ait Paulus , \* omnia , et ex eo  
ipso profisciscantur , et per eum gubernentur ,  
et conseruentur , et ad eundem referantur . Nul-  
la rei bonae honestaeque adeptio potest esse ,  
nec eius usus bonus , aut iucundus , nec exitus  
felix , nisi ea res et sit facta a Deo , et ab eo  
nobis tributa , et a nobis pie grataeque recogni-  
ta . Itaque primum est intelligendum , qui est  
autor et largitor huius tanti beneficij , idque ab  
eo , qui solus dat , petendum est . Deinde , cum  
est datum ac tributum , eo munere sobrie , cum  
laude Dei gratiarumque actione , utendum est .  
Neque illa satis magna diligentia in huius tan-  
tae rei petitione adhiberi posset , nec ante oran-  
di intermissio est facienda , donec eam adepti fu-  
erimus , quae tanto studio , tantaque assiduitate ,  
petenda est . Neque tamen nos , aut in quaeren-  
do , aut consilio capiendo , negligentes esse de-  
bemus , sed et nobiscum ipsi deliberare dili-  
genter , et cum amicis nostris hac de re com-  
municare , in primisque cum iis , quorum pru-  
dentiae , probitati benevolentiaeque , erga nos  
plurimum tribuimus , ita tamen , ut plus spei-

pōnamus in Dei prouidentia , quam in nostra  
 amicorumque nostrorum aut diligentia , aut pru-  
 dentia . Nam ipsa quidem uoluntas Dei in nos ,  
 perspecta et cognita , et studium nostrum , in  
 uxore aliqua honesta expetenda , incendit , et di-  
 ligentiam , in quaerenda , acuit , et , in eligenda , pru-  
 dentiam parit . Quare prima ratio habeatur , cu-  
 raque fuscipiatur , piae atque perpetuae oratio-  
 nis , altera prudentis deliberationis nostrae et ele-  
 ctionis per diligentis , atque ita statuamus , cum  
 in ceteris rebus omnibus , tum maxime in his ,  
 duas praecillas res esse , ut scribit Isocrates , τὴν  
 παρὰ τῶν Θεῶν εὐτυχίαν , καὶ τὴν παρὰ ήμῶν  
 εὐβολίαν . Ac de delectu uxoris , diligenter ha-  
 bendo , quaedam nunc dicamus , et ostendamus ,  
 quae et qualis uxor hominis literati esse debe-  
 at . In hac consideratione atque electione , qua-  
 tuor res uidentur potissimum spectandae , mores  
 animi , natura corporis , genus , et postremo  
 dos , quam complures , hoc tempore , primo loco  
 ponunt et appetunt . Sed hic non docemus ho-  
 minem sordidum auarumque , qui magis dotem ,  
 impietatis suae idolum , in domum suam cupit  
 ducere , quam uxorem , pietatis adiumentum et  
 consortium . Sed eum monemus , qui , cum sit  
 a Deo collocatus in literis , ut illum commen-  
 det et ornet , non doctrina solum , sed uita et  
 iam sancta , debet eam appetere et quaerere ,  
 quae eius studii comes , ac socia sit et adiutrix .  
 Itaque , cum eius professio non in quaestu , sed  
 cultu Dei , sit occupata , ea etiam quaerenda ei-  
 est ,

est, quae ab eo uitiae genere ac instituto non abhorreat, nec tam pecuniam, quam uirtutem pietatemque, ad uirum afferat. Nam, quod Paulus \* praecclare scripsit de auaritia, quam malorum omnium radicem esse, dixit, id latissime patet, cum in omni negotio, tum uero in coniugio instituendo, quod a uirtute, non a pecuniae cupiditate, oriri debet. Vna enim est uirtus, quae animum bene informatum ac generosum cum ad omnes diligendos allicit, in quibus aliqua eius apparet significatio, tum uero ad eam amandam, cuius ulum et fructum ex optimis, castissimis suauissimisque, moribus iam animo praesentimus, iisque frui uehementer cupimus. Quod si lumen pietatis in ea reluceat, ita animos piorum inflammat, ut nihil possit esse eo amore ardentius. Etenim magna quidem uis est ad diligendam omnem uirtutem, quam in aliis cernimus, sed maxima religionis atque pietatis, in ea praesertim, quam, usque ad extremum uitiae diem, uitiae piae ac sanctae sociam habere cupimus. Hic ortus coniugii est honestus et generosus, et ab eo profectus, qui masculum et feminam ab initio copulauit, nec, hinc orta, coniunctio matrimonii ullam potest habere incomoditatem, sed perpetuam felicitatem. Quos enim uirtutis opinio conciliauit, et constrinxit coniugii vinculo, eosdem ipsa uirtus, in ipso coniugio, perpetuo sanctissimoque amore, ad ultimum usque diem, continebit. Illa uero dotis

G s pecuni\*

\* 1 Timoth. VI.

pecuniaeque cupiditas, nullam suauitatem vitae, nec amoris firmitatem stabilitatemque, habere potest. Nam pecunia ea aut consumpta, aut ad quaestum collata, necesse est, ut aut amorem tollat, aut ab uxore ad lucrum transferat, nec tali coniunctione, quae tam fordidam habet originem, quicquam est nec turpius, nec miserius. Commemorarem hic incommoda, quae, plurima et maxima, coniugibus talis cupiditas afferit, nisi, ea satis nota, arbitrarer. Illud unum est maximum, quodque secum alia omnia importat, quod in eiusmodi matrimonio, quod nulla uirtutis opinio, sed turpis uel pecuniae cupido, uel amoris libido, conciliauit, nullus est uirtuti pietati que locus. Quare haec causa coniugii longissime absit ab animo docti viri atque pii, ad uxoremque ducendam adducatur ea una re, quam et Deus probat, et literarum ratio professioque Christiani nominis postulat. Quod Thiemistocles, cuidam quaerenti, cui daret suam filiam, praeclare respondit, Se malle virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro, id de uxore diligenda ac ducenda non inepte dici potest, ut bene morata bene dotatae semper anteponatur, magnaue dos in muliere existimetur, animus modestia pietateque ornatus. Si tamen pecunia una cum optimis moribus afferatur, non erit repudianda. Magno enim usui esse poterit ad otium literarum sustentandum, de quo postea quaedam dicemus. Nunc hoc quidem teneatur, haec studia non tam egere pecunia, quam uirtute,

te, quae si adsit in marito et uxore, pecunia facile parari potest, cum uirtus nullis pecuniis comparetur. Idem de forma ac pulchritudine corporis iudicandum est, aqua amorem charitatemque coniugii oriri, nolumus. Est enim forma fluxa res et caduca, quae uel morbo aliquo, uel etiam tempore ipso, deflorescit. Deinde, si etiam integra permaneret, non tamen ea est eius uis, quae aut bonorum animos coniungat, aut in amore pudico perpetuoque contineat. Sed, si egregia forma, aut etiam mediocris, comes sit eius uirtutis, quae debet esse in muliere, non est aspernanda. Est enim donum Dei pulchritudo corporis, ornata pudore ac modestia, estque tum appetenda et laudanda, cum uirtutem, uelut pedis sequa, consequitur atque comitatur, et maxime, si species quieti ac placidi illius spiritus, quem Petrus \* commendat in mulieribus, in ea relucent. Venustra uero muliere, eademque immodesta, aut improba, nihil potest esse deformius, quam Salomon \*\* similem dicit esse sui, cuius in collo torquis aureus est illigatus, ut, sicut aurum, spurcissimo animali applicatum, maiorem ostendit eius foeditatem, ita forma corporis in impudente impudicaque muliere maiorem deformitatem demonstrat. At pulchritudo placidi modestique spiritus tantam uim habet, ut uitia corporis tegat, aut minuat, et ornamenta illustret atque augeat. Neque est aliud, quod magis aut

com-

\* 1 Petr. III.

\*\* Proverb. XI.

commenderet, aut in natura sua custodiat, speciem corporis, quam pulchritudo animi, quae, si oculis cerni posset, mirabiles amores hominum bonorum excitaret. Quare animi decor bonis uiris princeps sit, ad amorem fuscipiendum, coniugiumque coeundum. Is si adsit, non sane video, quae uenustas alia sit exquirenda. Illud magis est in corpore spectandum, ut sanum sit beneque constitutum, in quo, si ratio praestantis prolis haberetur, medici etiam essent adhibendi, qui de natura corporum iudicarent. Magni enim referunt, et ad egregiam sobolem, et ad ualeitudinem, et etiam ad rem familiarem, quomodo sit affecta corpore, quae uxor futura est. Sed in eo quidem homines non sunt admodum negligentes, nisi forte ii, qui, pecuniae cupiditate occaecati, quid uitiosum sit in corpore atque animo, non uident. Nec uero genus est negligendum et parentes, a quibus causae non paruae solent proficii ad bonam malamue, tum naturam, tum educationem atque disciplinam. Nam, et a bonis boni solent nasci, et ab iisdem bene institui, improbi uero, quos possunt, nisi sui similes, procreare, aut educare? Praeterea nullae cum malis hominibus uel amicitiae, uel affinitates, sunt contrahendae. Nam, sicut olim pii, ex mandato Dei, impiorum Cananaeorum, aliorumque, connubia non attingebant, ita boni ab improborum affinitatibus debent omnino abstinere. Nulla inter eos coniunctio uera et firma esse potest, nullae commoditates ab iis proficiuntur. Bonorum

norum uero affinitas non solum honesta est atque  
 honorifica, uerum etiam utilis, et in omni uita  
 opportuna. Quam ob rem uir doctus ac pius  
 dabit operam, ut uxorem suam ducat ex  
 domo et familia, non tam locuplete, quam ho-  
 nesta et pudica, ut ea ex domo uxor id afferat  
 ad maritum, quod in coniugio in primis expe-  
 tendum est. Id autem est pudicitia, quam in-  
 tegrā incorruptamque ad uirum afferre, oportet.  
 Quaedam etiam semina earum uirtutum,  
 quas postea in honesta femina ostendemus, in  
 bonis piisque familiis cum sunt nata atque au-  
 cta, mirabiliter postea in coniugio, maximeque  
 literato, efflorescunt, praestantissimosque fru-  
 ctus afferunt. Magna enim res est, atque ho-  
 mini studio in primis expetenda, grauis mo-  
 rum disciplina, in qua puella, a parentibus dili-  
 genter instituta, ad maritum ducitur. Nihil au-  
 tem est, cuius maior ratio sit habenda, quam  
 ipsius animi, in quo mores sunt spectandi. Id,  
 cum primo loco a me fuisset supra propositum,  
 huic postremo est reseruatum. Hoc autem eo  
 feci consilio, ut, qui et quales mores eius sint,  
 quam homini literato uxorem quaerimus, supe-  
 rioribus illis demonstratis, commodius explicare  
 possimus. Nam, si haec pars demonstrata  
 fuerit, existimo, futurum, ut omnes, qui ista  
 legent ac cognoscent, dignitatem ipsius coniu-  
 gii intelligent, ad illudque celebrandum et co-  
 lendum omnia sua studia conferant. Philosophi  
 prope omnes, qui de mulierum moribus aliquid  
 scri-  
 -

scriperunt, duas uirtutes maxime in muliere esse, uoluerunt, modestiam et diligentiam, ac modestiam, siue pudorem, custodem esse eius, quae etiam ab eo est nominata, pudicitiae, qua sublata, ut ait Lucretia, apud Liuium, nihil mulieri saluum relinquitur. Amissa enim pudicitia, omnia maxima mulieris ornamenta simul amittuntur. Ea enim est, quae et uirgini parit commendationem, et postea coniugi existimationem uitae honoremque affert. Hanc igitur efficit modestia, quam alio nomine siue temperantiam, siue moderationem, siue uerecundiam pudoremque, appellare licet. Cuius uirtutis uis et pulchritudo, in tota uitae ratione consuetudineque, apparet. Altera est diligentia, quae etiam industria appellatur, magnum rei familiaris adiumentum et praesidium, otio literarum alendo tuendoque necessarium, quem ad modum illa prior est singulare ornamentum. Hae duae uirtutes maxime propriae sunt eius mulieris, quae uxor aliquius futura est, quarum altera ad mores pertinet, altera ad res domesticas, quas quidem etiam diuus Paulus \* in eadem requirit. Nam, mulierem coniugatam, et modestam sobriamque, esse, uult, quam appellat σώφρονα, et eandem σύμμορφον, hoc est, custodem domus, quae custodia complectitur non solum diligentem dispensationem conseruationemque eorum, quae a uiro in domum inferuntur, sed etiam prudentem accuratamque librorum ac domesticorum.

\* 1 Timoth. II et III.

corum institutionem, et grauem disciplinam.  
 Has duas uirtutes mulier debet aut a parentibus suis afferre ad maritum, quod est rarum, atque optandum, aut ab ipso marito accipere, quod erit facile, praesertim, si uir prudens ac doctus illam ducat ea aetate, in qua mores sint ita tractabiles et ductiles, ut ad uirtutem et pietatem formari possint. Nam in grandiore aetate solent esse duriores et intractabiles, cum animus uitiis quibusdam iam confirmatus, aut nullis rebus honestis informatus, disciplinam non facile suscipit, quem ad modum dicitur de cane uetulo, quod sit difficile, eum loris assuescere. Quare, aut eam bene institutam a parentibus accipiat, aut quem ad modum, apud Xenophontem, dixit, se fecisse, Ischomachus, ea aetate eam ducat, quae sit docilis et capax disciplinae. Sed fieri nullo modo potest, ut ea recte uel iam sit instituta, uel a uiro instituatur, in iis rebus atque officiis, quae mulieri maxime conueniunt, nisi adhibetur ea doctrina, quae nobis, ut ait Paulus, inspirata est diuinitus, quae ad omnem morum uel emendationem, uel informationem, maxime utilis est et necessaria. Etenim, ut in Psalmo ait Propheta, Quomodo emendabit adolescentiam tuam suam, nisi iuxta uerbum Dei? Etsi enim permulta sunt a philosophis doctissimis hominibus praecepta atque scripta, quae ad officium mulieris honestae prudentisque matrisfamilias pertinent, iisque praeceptis complures olim feminae institutae honeste uixerunt, tamen nescio,

nescio, quomodo illa uidentur mihi esse leuiora,  
 cum comparantur cum iis, quae in sacris literis,  
 a sanctissimis uiris sunt grauissime tradita et  
 scripta. Non enim hic officia ducuntur a na-  
 tura, quae tota uitiata est, ut apud philosophos,  
 sed tum ab ipso Deo, autore nostrae uocationis,  
 tum etiam a fine eiusdem uocationis, qui, cum  
 sit gloria eius, cum quo, et a quo, maritus et  
 uxor coniuncti sunt, habet consideratio tantae  
 eius dignitatis maximum pondus et acerrimum  
 aculeum, ad omnem colendam sanctitatem, o-  
 mnemque pietatis laudem colligendam. Omni-  
 no cause virtutum sunt grauiores, et fontes, un-  
 de manant officia, praestantiores, in diuinis lite-  
 ris, quam in philosophorum libris, neque est  
 ulla uitae pars, ulla actio, quae praeceptis legis  
 diuinae carere debeat. Nam, siue cum Deo  
 agas, siue cum proximo, siue tecum, scriptura  
 sacra tantam uim habet, ut, sine ea, nihil nec re-  
 cete institui, nec honeste agi, nec feliciter con-  
 fici, possit. In ea tum praecepta eiusmodi tra-  
 duntur, tum proponuntur exempla sanctorum,  
 quae hominem, ad omne bonum opus atque of-  
 ficium, uehementer et incidunt, et instituunt.  
 Ac uita quidem eorum omnium, qui, spredo uer-  
 bo Dei, suis humanisque reguntur consiliis, ual-  
 de est incerta, fluxa, lubrica ac misera, quae, ut  
 scriptum est in primo Psalmo, similis est pulueri,  
 qui a uento dissipatur, certa uero, et firma,  
 et beata eorum, qui ex lege Dei, hoc est uo-  
 luntate atque sententia eius, uiuunt, qui, et  
 Deum

Deum cognoscunt, et ab ipso cognoscuntur.  
 Nouit enim Dominus viam piorum, et via im-  
 piorum, ignota ac neglecta, peribit. Sed nos  
 hic loquimur de muliere et uxore studiosi ho-  
 minis, quae nunquam intelliget, aut obibit, re-  
 cete munus uocationis suae, nisi rationem uitae  
 degendae didicerit ex ea disciplina, quae  
 hominem in omni uite statu, omnique officii  
 ac muneris genere, instruit et perficit. Vo-  
 luntas enim Dei est cognoscenda, ad eamque  
 omnia studia atque officia referenda, nec sine  
 ea cogitatione quicquam est rectum, aut Deo  
 gratum probatumque. At, quid Deus a nobis  
 uelit ac requirat, non potest cognosci, nisi ex  
 ea lege et doctrina, in qua nobis suam uolun-  
 tam plane declarauit. Quam ob rem mulier,  
 quae, uel uirgo, in paterna domo, uel postea  
 coniux, in sua et mariti, fuerit, in lege Dei di-  
 ligenter erudita, facile omnia tenebit et praef-  
 stabit, quae in ea uita coniugata sunt cogitanda  
 et colenda. Atque istud quidem, quem ad mo-  
 dum fieri et debeat, et possit, demonstremus.  
 Primum Deum, crearem suum cognosceret et  
 auctorem coniugii sui, a quo sit ad uirum deduc-  
 ta, socia eius conditionis uocationisque, qua  
 nulla melior est et praestantior. Est enim ho-  
 mo creatus ad imaginem Dei, in qua praestan-  
 tia ac dignitate Deus illum solum noluit dege-  
 re, sed eius uite diuinae, piae ac sanctae, muli-  
 erem ei adiunxit et sociam, et adiutricem. Ita-  
 que ad hanc tam excellentem uite societatem

cum, se et primum a Deo uocatam, et per Christum reuocatam, intelliget, cauebit, ne quid indignum hac tanta dignitate committat, et ea in re marito noceat, cuius adiutrix est ascita, illique comes adiuncta, in qua etiam tuenda ornandaque, eo cautiorem diligentiam maioremque modestiam adhibebit, quo diligentius memoria repetet, quantum primae mulieris immodestia ac insolentia nocuerit, in quantamque calamitatem, non modo eam uirumque eius, sed totum etiam humanum genus, praecipitarit. Deum igitur metuet, imbecillitatem sui sexus cognoscet, Deum colet, cum castissimis suis precibus, tum optimis sanctissimisque totius uitae moribus, memor erit semper suae uocationis, ac considerabit, et a quo profecta sit, et cui adiuncta, et ad quem uitae statum applicata, in quo, si aliquae sunt molestiae atque incomoda, ea existimabit prioris causae praemia esse, et nunc remedia quaedam coercendae insolentiae, quae in eo sexu magna apparuit, eaque leuabit, cum autoritate ac uoluntate Dei, qui tales conditionem mulieribus imposuit, tum ea promissione atque benedictione, quam eidem instituto coniugii statim adiunxit, quae, et si primorum coniugum culpa sublata erat, postea tamen per Christum fuit instituta atque confirmata, eaque in piorum matrimonium tanta importat tum solertia, tum beneficia, ut incomoda, cum his comparata commodis, nulla omnino apparent. Atque haec cognitio Dei, et uocationis, fons est,

est, unde manare debent cetera omnia officia, quae uel domi marito, liberis ac domesticis, uel foris aliis hominibus, tribuenda sunt. Fundamentum enim uirtutum omnium est religio ac pietas, qua Deus ita colendus est, ut ei timorem, ut Domino, et amorem, ut parenti, tribuamus. Quorum utrumque nos in officio ita continet, ut timor a uitiis peccatisque deterreat, amor uero ad sanctitatem iustitiamque uehementer accendat. Quare, cum utroque mulier fu-  
erit imbuta, in praexceptisque sapientiae diuinae instituta, nulla alia officia uitae aut domesticae, aut externae, praetermittet. Non enim solum aduersus Deum ita se geret, quem ad modum ostendimus, uerum etiam mariti sui et naturam, et dignitatem, cognoscet, eumque et obseruat, ut superiorem, et, ut parem sociumque, adamabit. Est enim uir mulieris caput, \* in quo colendo atque honorando, ita est temperata reuerentia, ut ea cum summa charitate suauissimoque amore coniungatur. Hunc igitur prudens femina debet et uereri, ut dominum, et obseruare, ut parentem, et diligere, ut solum, et amare, ut fratrem, cum quo unum patrem communem habet, eumque uno eodemque spiritu inuocat atque adorat. Itaque Paulus \*\* docet, et mulieri duo praecipit, quae uiro tribuenda sunt, obedientiam atque benevolentiam, eamque ὑπαρδεον, subiectam

H 2

uiro.

\* 1 Corinth. XI, Ephes. V.

\*\* Coloss. III.

viro, et Φιλάνδρον, eiusdem amantem, esse uult. Ea Apostoli doctrina, de officio uxorius in maritum, sumpta est ab institutione ipsius coniugii, et autoritate Dei. Deus enim ab initio \* feminam viro ita coniunxit, ut, eam in potestate vii esse, uoluerit, ad arbitriumque illius uiuere, ut omnia eius studia ad alterius uoluntatem atque nutum conuertantur, et tota uitae ratio ad illius iudicium arbitriumque conformetur. Quare hac in parte pia mulier erga maritum ita se geret, ut illi soli placere studeat, in omni officii genere, quod uel amoris suavitatem, uel autoritatis reuerentiam, requirit. Neque faciet aliquid, quod possit aut illius uoluntatem offendere, aut existimationem minuere. Non erit procax, nec superba, nec ita arrogans, ut aliquid iuris in maritum sumat, cum is loquetur, aut docebit, non interponet se, sed eum audiet diligenter. Docendi enim aut loquendi autoritas, a muliere est aliena, nisi tum, cum aut cum suis liberis ac domesticis est, aut cum sui generis feminis puellisque uersatur. Nam tum quidem potest cum illis habere aliquem eiusmodi sermonem, qui sanctam morum institutionem contineat. Cum uero maritus adest, turpe est, mulierem loqui, praesertim, cum is taceat, aut etiam loquatur. Videtur enim, ut uerbo Paulino utar, αὐθεντεῖν, autoritatemque in maritum usurpare, eiusque capitis violare

\* Genes. II.

\*\* Cor. XXIIII.

uiolare dignitatem et potestatem , cuius signum  
gestat in suo capite. Omnino silentium ab o-  
mnibus doctissimis hominibus maximum orna-  
mentum in muliere fuit iudicatum , eoque ute-  
tur libenter , quae prudens est et modesta , cum  
inter uiros sermo erit institutus , cui ipsa inter-  
erit. Haec linguae moderatio difficultis sane est  
in eo sexu , qui loquacitatis uitio solet laborare.  
sed feminae modestae ac reuerenti , cum De-  
um , tum etiam maritum , facilima. Neque  
tamen semper tacendum est , sed , ut silentio in-  
ter uiros , ita sermone inter mulieres , aut libe-  
ros , domesticos suos , utendum. Quo in gene-  
re ita se geret , ut oratio illius nullam habeat si-  
gnificationem aut imprudentiae , aut inconstan-  
tiae , aut impudicitiae atque intemperantiae. Te-  
nebit igitur doctrinam Pauli , cuius haec sunt  
praecepta de sermone , non mulierum modo , sed  
etiam omnium Christianorum , ut in eo nulla in-  
sit neque obscenitas ac impuritas , neque scur-  
rilitas , nec urbanitas , aut huiuscmodi res alia ,  
quae ad inanem delectationem ab impiis solet  
adhiberi , sed aut aliqua doctrina , ad erudiendos  
ignaros necessaria , aut exhortatio , ad excitandos  
negligentes accommodata , aut consolatio ,  
ad erigendos confirmandosque afflictos opportu-  
na , denique gratiarum actio et confessio eius ,  
qui nos eripuit ex tenebris et in hanc lucem de-  
duxit , ut uirtutes eius annunciemus. Magnus  
enim est linguae usus , et maxima plurimaeque  
eius instrumenti opportunitates , cum ad nostram

salutem , tum ad laudem Dei , qui linguam in ea parte corporis propterea inseruit , ut ipsi inter nos communicemus , ad uirtutem atque pietatem instituamur , et Deum , creatorem autremque nostrum , praedicemus . Mulier igitur , cum eius organi usum uimque intelliget , id adhibebit aut ad aedificationem proximi , aut ad commendationem Dei , et praeterea nullam ad rem aliam , quae uel perniciosa sit , uel etiam otiosa . Nam sermonis quidem , etiam otiosi , ratio reddenda est . \* Quid , prauia atque obscenii , quae poena est expectanda ? Deum itaque semper sibi proponet et metuet , nec quicquam loquetur , nec cogitabit , quod ab ea doctrina , in qua uolumus institutam eam , discrepet . Et , quoniam sciet , quam perniciosum consilium fuerit primae mulieris , et plerasque alias feminas , eo in genere , et nocuisse , et nunc nocere , dum , ut in cogitatione , ita etiam in oratione , sunt imprudentes , cautebit diligenter , ne quid in eo ipsa etiam peccet , et , cum timore Domini et reuerentia mariti sui , sermone utetur . Iam in uestitu cultuque corporis non minus moderata erit , quam in sermone , et eum , quem Demochares , philosophus , in orationis atque cultus parsimonia posuit , ornatum amplectetur . Cur enim formam affectabit , quae sua contenta est aut , cur alienam desiderabit , et fucis figmentisque asciscet , cum in sua nativa sibi non displiceat , et maxime in ea specie , ad quam Deus eam

finxit ,

\* Matth. XII.

finxit, finxit autem ad suam imaginem et similitudinem. Quem uero cultum externum adhibebit, cum internum ornatum tam pulchrum, tam elegantem, tamque magnificum ac pretiosum, coram Deo habeat, animum castum, purum, corruptum, et, ut Petrus \* scribit, spiritum quietum, placidum ac modestum, quo, in muliere, nihil pulchrius, nec magnificentius, nec Deo gratius, esse potest. Nec uero causa erit se comendi ornandique ei, quae, ad coniugium, scit, se a Deo adductam, ut marito satifaciat, quae hoc studet ac agit tantum, ut uiro suo placeat, virum autem habeat, qui istiusmodi inanibus ornamentis non delectetur, nec capiatur iis libidinis illectamentis, sed potius amplectatur atque amet eam elegantiam ac pulchritudinem, quae illum etiam in amorem primum illexit. Ea autem est uirtus et maxime pietas, omni modestia, uerecundia ac probitate morum ornata et cumulata. Quare plus studii, diligentiae ac operae, ponet in ea parte, quam et Deo gratior rem, et marito iucundiores, et apud omnes sapientes pulchriorem, esse, scier, in eaque excolenda et componenda erit occupata, cuius tanta uis est et dignitas, ut eius splendore reliquus cultus corporis, quamvis simplex et tenuis, splendescat. Nam, in cuius uita ac moribus illa animi pulchritudo, probitas pietasque; elucet, in ea omnia alia pulchra ac uenusta uidentur. Contra, nulla tam praecclara forma est, quae deformitate

H. 4

\* 1 Petr. III.

mitate animi non obscuretur. Sed de forma diximus, nunc de ornatu cultuque corporis loquimur, quem in femina coniugata eum uolumus esse, qui a sapientissimis uiris, Paulo ac Petro, Apostolis, praescriptus est, et a sanctissimi matronis semper retentus. Is autem in femina sancta non debet esse sumptuosus, neque splendidus ac laetus, qui in ea significet aut luxum, aut fastum animi, aut etiam frontem ac uultum, pudoris expertem, sed simplex, et mundus, et honestus, qui conueniat, ut ait Paulus, mulieribus, quae profitentur pietatem per bona opera. Mediocritate uestetur pia femina, neque erit sordida, ac squalida in uestitu, nec etiam magnifica et splendida, sed munditiem adhibebit, fordes et luxum peraeque fugiet. Paulus maxime probat *κατασολην*, id genus uestis erat talaris, qua omnes partes corporis contegebantur. Eiusmodi uestitu uestetur modesta femina, nec, ullam partem sui corporis, praeter eas, quas natura in aperto posuit, aliorum oculis nudas patere, finet, ne aut det aliquod aliis signum suaे impudicitiae, aut aliorum libidinis scandalum. Paulus, mulieris coniugatae caput propterea, non uult, denudari, quod id contra dignitatem sit mariti, in cuius potestate est, eiusque rei signum affert capitis integumentum, quod non licet in publico deponere, multo minus eas partes corporis detegere, quas Deus uult maxime tectas esse, et soli marito notas. Hanc igitur modestiam in uestitu femina nostra retine-

retinebit , atque illarum fugiet impudentiam ,  
 quae ita se denudant et expectorant , ut aliis pla-  
 cere , uel potius se prostituere , uelle videantur.  
 Earum immodestiam nostra redarguat , non tam  
 modesta prudenteque oratione , quam totius ui-  
 tiae morumque simplicitate ac moderatione.  
 Cuius admirabilis lux , in mediis etiam huius mun-  
 di pompis , hoc est , tenebris , elucere solet , et  
 aliis pudorem offundere , eosque ad se euocare,  
 ut , relictis tenebris , incedant in lumine. Praecla-  
 re enim Paulus \* praecipit , ut modestia piorum  
 omnibus innotescat , cuius exemplum in femina  
 Christiana cum est pulchrum ac laudabile , tum  
 ad impios , uel conuincendos , uel conuertendos ,  
 grauissimum. Quid dicam de temperantia , quae  
 in potu ac cibo mulieri maxime seruanda est ?  
 Quid ea in eo genere peccabit atque intempe-  
 ranter faciet , quae nouit , quis usus cibi potus-  
 que esse debeat , et quantum natura humana ,  
 maximeque muliebris , requirat , et , quae ratio  
 non solum ualetudinis , sed etiam castitatis ac  
 pudicitiae , sit habenda ? Primum sciet ex diui-  
 nis literis , ea omnia creata esse a Deo , ab eo  
 que dari , ut a piis sumantur cum agnitione di-  
 uinae beneficentiae , et gratiarum actione , ut is ,  
 qui creauit et animum , et corpus , laudetur ,  
 quod curam utriusque habeat. Nec uero Deum  
 illa largiri ad luxus libidinisque intemperantiam ,  
 aut ad naturae corruptionem , sed ad eius susten-  
 tationem atque conseruationem , ut mens fana-

H 5

ac

\* Philipp. III.

ac sobria continetur in sano corpore. Christus, enim diligenter admonuit, \* ne cibo ac potu grauentur corda nostra, et uini immoderatum usum Paulus \*\* uitandum praecipit, in quo intemperantiam esse, dicit, nec corporis ad uoluptatem curam habendam esse, sed ad necessitatem. Deinde pia femina, quae cum marito caste pudiceque uiuere constituit, neque solum parca matresfamilias esse, sed etiam uxor pudica, non adhibebit parsimoniam, ac frugalitatem et sobrietatem? quarum altera est custos rei familiaris, altera pudicitiae et castitatis. Et, cuius mens in piis precibus muneribusque rei domesticae erit occupata, et corpus cum sanctis ieuniis moderatum, tum honestis rei familiaris laboribus occupatum, eius cogitatio poterit in uilla cibi potusque uoluptate intemperantiaque uersari? Atque eo facilius istam moderationem hac in parte retinebit, quod cum eo uiuet, cuius tota uita est et forma, et magistra, sobrietatis et castitatis. Diximus antea, quantam temperantiam continentiamque studia literarum requirant, quantumque sobrietatem desideret ingenium illius, qui in literis uult consequi aliquam laudem sapientiae. Cum illo igitur ita uiuet nostra femina, ut uterque, in suo genere et ratione, sit exemplum temperantiae ac modestiae, et insigne par coniugatorum, ad uitae piae ac sanctae professionem constitutum. Quin etiam

\* Lueae XXI.

\*\* Ephes. V.

iam in illa interiore consuetudine ; quam cum  
marito habet , secretoque cubili , ita se geret , ut ,  
cum a nemine videatur , Deum tamen testem  
spectatoremque suae pudicitiae habeat , neque  
omne illud tempus , quod ad quietem datum  
est , aut in somno capiendo , aut in explenda li-  
bidine , consumet , sed aliquam eius partem ponet  
in sanctis precibus , quas , in secreto , cum marito ,  
ad Deum caste fundet . Iucunda enim haec res  
est , et grata Deo , et in qua magna est pietatis  
exercitatio . Multum enim ualet apud Deum  
coniuncta puraque mariti et uxoris oratio , et  
ipsoſ coniuges , cum in Christi fide , tum etiam  
in mutuo castoque amore , maximopere con-  
firmat , eaque disciplina tantas affert commodi-  
tates , quantas ego non possem dicere . Qui ita  
sunt instituti atque exercitati , ii experiuntur ,  
quam suavis sit ea uita , quamque uerae sint et  
certae ei a Deo factae promissiones . Reliqui  
uero omnes , qui uſum coniugii nesciunt , non  
percipiunt etiam eum fructum , qui iis , qui  
Deum in eo metuunt et diligunt , promissus  
est . Iam uero uideamus , qualis matresfamilias  
sit futura , et quid actura domi , cuius custodia  
ei a Paulo commissa est , et antiquis demonstra-  
ta illa pictura Veneris , quae ita pingebatur , ut  
pedibus insisteret testudinis , quam Hesiodus ,  
poeta , ὄνοΦόρον appellat , quod domum suam  
ferat . Nec uero ea mulieris domestica custo-  
dia otiosa esse debet , sed in omni rei familiaris  
bene administrandae , munere occupata . Nam ,

ut

ut antea diximus, ita est distributa inter coniu-  
ges domestica ratio, ut maritus foris quaerat et  
suppeditet, quae ad usum uitae sunt necessaria,  
uxor uero ea domi dispensem atque custodiat.  
Quare prudens femina, quae sciet, se a Deo ad  
eam uitae communitatem societatemque uoca-  
tam, in eaque partes munera sui intelliget, fa-  
cile se domi continebit, omniaque ita admini-  
strabit, ut nullum matriffamilias, tum pru-  
dentis, tum diligentis, officium in ea requira-  
tur. Non dicam hic, illam facturam, quod, ne  
cogitaturam quidem, puto, ut coniuia intem-  
pestiuia adeat, saltationes frequentet, et coetus  
non honestos hominum, et mulierum dissoluta-  
rum, ut in foro ac plateis obambulans conspi-  
ciatur, quae sunt notae eius meretricis, quam de-  
scribit Salomon, non eius mulieris, quam nos  
docto ac pio homini informamus. Industria  
autem, quae Graece Φιλοπονία appellatur, et  
parsimonia, siue frugalitas, in muliere maxima  
sunt duo praefidia, rei familiaris conseruandae  
et augendae constituta. Posterior etiam uirtus,  
qua frugi homines dicuntur, magnum est mu-  
liebris pudicitiae et adiumentum, et ornamen-  
tum. Sed feminae uirtus nulla in re magis  
lucet, quam in liberis et procreandis, et insti-  
tuendis, et in domesticis famulis regendis. Mu-  
lier, inquit Paulus, \* fuit seducta, non uir, ser-  
uabitur tamen per generationem liberorum, si  
permanserint in fide, charitate ac honestate. Ita-

que

\* 1 Timoth. II.

que idem Apostolus uult, eam esse Φιλότεκνον, amantem librorum, in eisque recte ac pie informantibus per diligentem. Nulla est alia pars rei domesticae maior, nec magis propria mulieris, nec, quae maiorem ei laudem cum prudenteriae, tum pietatis, afferat. Est enim sancta liberorum disciplina maximum domus non solum ornamentum, uerum etiam firmamentum, et se-nectutis parentum praesidium, et generis ac nominis ipsorum monumentum sempiternum. Nam, ut inquit Propheta, \* rectorum familia beata erit, eorumque aeterna memoria. Quare pia mulier ac bona mater, eorum, quos genuerit et nutricata erit, si potest, et magistra, curamque tum corporis, tum etiam animi, magnam fuscipiet. Neque enim mater est, quae alterutrum in liberis negligit, quae aut mammam negat, cum potest dare, aut disciplinam. Atque utriusque rei, et educationis, et institutionis, reddenda ratio erit ei, qui mulieri utrumque uehementer mandauit atque commendauit. Sed prudens femina in ea puerili disciplina dabit operam, ut liberi Deum in primis timeant, quod est initium omnis sapientiae, parentes honorent, colant, diligant, et uiuant temperanter ac modeste. Duo enim uitia sunt, quibus prima illa aetas maxime solet laborare, contumacia, atque intemperantia, quibus statim ab initio medendum est, atque, ut monet Paulus, parentibus curandum, ut liberi in omni subiectione paren-

tum

\* Psalm. CXI.

tum contineantur et uitiae moderatione. Sed in iis quidem duobus , ceeterisque officiis , timor Domini sanctus , pueris una cum lacte traditus , eos maxime continere potest. Venite , inquit Dauid , pueri ad me , timorem Domini docebo uos , in eoque seruando uitam longam diuturnamque illi promittit. In hac igitur Dei et parentum reuerentia pia mater suos liberos erudit et , atque ipsa in tota uita eos mores ostendet , ad quos pueri suos possint conformare , eosque , ut legem quandam honeste sancteque uiuendi , sibi proponere , neque unquam quicquam faciet , aut dicet , quod in exemplum licentiae , petulantiae ac immodestiae , a liberis capi possit. Quod si liberos non habeat , feret aequo animo , neque , sterilitatem , putabit , probrum esse in Christiana femina , in qua laus omnia ita occupauit , ut nulli infamiae ac uituperationi locus reliectus sit , eoque multo minus , quod prolis foecunditas et sterilitas huiusmodi sunt res , quae piis in bonum accidente diuinatus , ut laus Dei optimi in utraque insit potius , quam sanctissimae feminae uituperatio. Sed , si non potest esse mater , poterit esse domina , quae familiam ita instituet et reget , ut domestici omnes Deum primum colant et metuant , deinde ea officia singuli obeant , quae ad rem familiarem pertinent. Poterit ancillas domi suae erudire , ut lanam et linum nere sciant , et accum tractare , et ea agere , quae mulieribus sunt necessaria ad oeconomiam , qua in re cum sibi tum

tum illis consulat, dum eas et bonas utilesque ancillas, domi suae, reddet, et, aliis futuras coniuges, non peritas modo ac diligentibus, uerum etiam pias ac modestas, efficiet. Eadem industria et pietate utetur in famulos, quo sunque secum habebit, ut recte facientes, pie que uiuentes, semper laudet, et tractet humaniter, fecus uero facientes uerbis grauissimis castiget, neminemque domi suae esse, patiatur, qui non Deum timeat et modeste uiuat. Denique, in constanti grauique disciplina retinenda, summa erit eius severitas singulari humanitate ac comitate temperata, ut domestici omnes grauitatem sanctitatemque eius, intuentes, uereantur, et, uidentes summam ejusdem in se charitatem, eam omni benevolentia amplectantur. Atque haec est eius domestica custodia, de qua non singula persequor, quae de ea dici possunt. Neque enim mihi fuit propositum, ut singula huius mulieris officia explicarem, sed, ut summas eius uirtutes demonstrarem, quas ex doctrina diuina sumeret, quibus uirtutibus adductus, uir literatus animum ad coniugium adiiceret, et in quaerenda uxore delectum adhiberet, atque, aut ita informatam eligeret, aut his moribus eam informaret. Itaque non exponam etiam, quae externa eius consuetudo esse debeat, et, quem ad modum foris cum aliis eam agere, oporteat. Quae enim supra dicta sunt, ad eam rationem pertinent, et doctrina legis diuinae, omnia pracepta bene pie que uiendi ita est complexa, ut

nihil

nihil sit in ea praetermissum, in quo mulier coniugata, maxima cum laude Dei et honore uiri sui, uersari possit. Nulla enim uitae institutio, cuius informandae atque moderandae ratio in diuinis literis non sit praescripta, neque solum praeceps recte uiuendi uita mulierum ibi instituta est, sed etiam exemplis seminarum illustrium, ad quarum praestantissimas uirtutes reliquae omnes et uirgines, et nuptiae, et uiduae, possint et debent mores suos informare. Ibi Sara est mater piarum seminarum, ut maritus eius Abraam, pater piorum hominum, quae et uiri hominis sanctissimi in Deo colendo fuit semper socia, et eiusdem adeo obseruans ac reuerens, ut dominum illum suum solita sit appellare, ad cuius modestiam summamque obedientiam Petrus ceteras eius omnes filias, hoc est, sanctas feminas ac Deum metuentes, adhortatur. Ibi sunt duae Sarae nurus, Rebecca, uxor Isaac, et Rachel, coniunx Iacob, mulieres, cum pietate in Deum singulari, tum etiam fide et amore admirabili erga maritos, quos in molesta atque periculosa peregrinatione perpetuo secutae sunt, omnium periculorum sociae atque consortes. Ibi est Anna, uxor Helcanae, cuius summa moderatio et patientia in ferendo sterilitatis probro, quod subinde obiiciebatur ab aemula, memoriae prodita, meruit, ut ipsa mater Samuelis, prophetae excellentis, esset. Ibi sunt etiam Michol et Abigail, duae coniuges Davidis, quarum altera pietatem ac fidem memora-

morabilem in maritum declarauit, cum illius salutem potiorem habuit, quam autoritatem patris atque regis, neque ullis minis adduci unquam potuit, ut illum patri Sauli proderet, cuius salus paternae non solum uoluntati, sed etiam saluti, anteponenda est. Altera, Abigail, sua summa solertia stulto marito salutem attulit, et, prudentia commendata, Dauidi, prudentissimo atque optimo viro, postea nupsit. Ibi est Sara, uxor Tobiae, quae, cum, a parentibus in omni bonae matris familias officio egregie instituta, discessisset, postea eius institutionis fructus ostendit, et cum marito suo modeste ac sancte uixit, cuius pietas in omni cultu Dei, maximeque in castis precibus, omnibus piis feminis est imitanda. Ibi est Iudith, mulier uidea, cum singulari quadam uirtute, qua in rebus magnis uerata est, tum etiam religione et sanctitate, qua Deum perpetuo constanterque est prosecuta. Ibi est uxor Manuae, quae uirum diffidentem, ac de Dei auxilio desperantem, constantissima fide sua erexit et confirmauit. Ibi est Susanna, uxor Ioachin, ac mulier in summa uenustate moribus castissimis, cuius pudicitia non solum adulterii crimen mortisque periculo fuit liberata, uerum etiam accusatorum hominum libidinosorum supplicio vindicata. Sed, quid ego plura colligo, cum historia sacra praestantissimis exemplis, in omni genere muliebris uirtutis ac pietatis, reserta sit, quae pia nostra semina in primis sibi proponet, atque ex iis mores suos su-

rumque instituer. Ex quibus omnibus unum  
 non possum praeterire, quod ad omne mode-  
 stiae, pudicitiae ac sanctimoniae, laudem in no-  
 uo Testamento est propositum. Id autem est  
 Maria, uirgo et Christi mater, decus ac lumen  
 omnium et uirginum, et matronarum, cuius  
 quidem admiranda castitas, et ante coniugium,  
 et in ipso toto coniugio, integra ac sancta fuit  
 conseruata. Eiusdem modestia et mansuetudo  
 ab Spiritu sancto commemorata est, et ita ex-  
 pressa, ut omnes feminae, quae pietatem profi-  
 tentur, facile possint intelligere, qui et quales  
 mores ipsarum esse debeant. Quare et hanc  
 in primis, et ceteras omnes, quarum uirtutes  
 in sacris literis sunt proditae, nostra femina sibi  
 proponet, in earumque sanctissimis moribus i-  
 psam legem Dei, eiusque uoluntatem, proposi-  
 tam atque expressam esse, ducet. Omnia enim  
 et ab illis facta sunt, et ab Spiritu sancto scri-  
 pta, propter nostram utilitatem, ut nos, optimis  
 non praeceptis modo, sed etiam exemplis, erudi-  
 tii, Deum colamus pie, in eoque sperantes, uitam  
 hanc sobrie et honeste traducamus. Quod si,  
 in ea pie uiuendi sapientia uxor hominis literati  
 fuerit ita instituta, ut supra ostendimus, facile  
 praestabit eas duas uirtutes, modestiam et indu-  
 striam, quas in femina ac coniuge requiri, dixi-  
 mus, quarum altera coniugio est ornamento,  
 altera etiam adiumento et praesidio. Nam et  
 studiosam uitam, quae existimatione dignitate-  
 que maxime florere debet, suis modestissimis ac  
     pudi-

pudicissimis moribus honestabit , et eandem domesticis laboribus et curis sustentabit. Quid autem est honestius et laudabilius ea uitae ratione , ad quam duo coniuges a Deo ducti et coniuncti ita se gerunt , ut Deum metuant , in eoque omnem spem ponant , et ea spe freti ita uiuant , ut nullum non modo crimen , sed , ne suspicio quidem criminis , in eam uitam cadat , laus uero modestiae , pudoris ac sanctimoniae , omni iure ac merito conferatur ? Sed , de hac quidem coniugii dignitate satis iam multa diximus. Reliquum est , ut paucis exponamus eas commoditates , quae ex matrimonio ita instituto ad studia literarum afferri possunt. Neque enim solum propter honestatem haec coniunctio uitae communioque expetitur , uerum etiam propter utilitatem , neque Deus illam coelibatus soliditudinem idcirco solum damnauit , quod in ea honestas et pudicitia plerunque periclitetur , uerum etiam , quod ea uita solitaria expers sit earum commoditatum atque opportunitatum , quae in hac coniugata plurimae maximaque reperuntur. Mulierem enim Deus ad hominem adiunxit , quae esset , ut est scriptum , socia et adiutrix ad uiuendum non honeste solum , sed etiam commode atque iucunde. Etenim ea est humanae uitae conditio , ut unus per se ad eam tuendam non satis possit , nec ita omnia habeat , ut aliorum opera , studio auxilioque , careat. Hoc in communi ac ciuitate clarum est , in qua uidemus varie disperita esse dona et munera , ut

non unus omnia , sed singuli aliqua habeant ,  
 quae ad communem uitae usum sunt utilia , ea-  
 que mutua officiorum atque studiorum indigen-  
 tia . Et necessitas parit inter ipsos homines sum-  
 mam necessitudinem , et continet maxime inter  
 ipsos societatem , cum unus id reddit alteri . in di-  
 uerso officii genere , quod ab eo in alio acce-  
 pit . Eadem ratio necessaria in priuata domesti-  
 caque uita est . Neque enim uiro omnia sunt a  
 Deo tributa , sed quaedam proprie ac singulari-  
 ter mulieri concessa et data sunt , quorum usus  
 uiris maximopere est opportunus ac necessari-  
 us . Viri quidem fortiores atque audaciores  
 sunt , et propterea ad uim prohibendam , et rem  
 acquirendam , paratores , mulieres uero timidi-  
 ores , et ea de causa aptiores ad domesticam  
 custodiam , quam Paulus mulieris propriam esse  
 uoluit . Itaque , cum non minus necessarium sit  
 parta conseruare , quam , ea parere , est adiuncta  
 a Deo mulier , quae domi diligenter custodiret ,  
 quae ille in domum , suis laboribus , inferret . Cu-  
 stodia autem in eo est posita , tum , ut recte dis-  
 pensentur ea , quae sunt acquisita , tum etiam , ut ,  
 quae supersunt , accurate conseruentur . Ad hanc  
 quidem rem aptior natura est muliebris , quam  
 uirilis . Praeterea artes quaedam sunt mulieris  
 propriae , quaeque pertinent ad cultum corpo-  
 ris et uictum , quibus uiri carere non possunt , ut  
 lanificium , illudque artificium uel lanae , uel te-  
 lae , tractandae , quod totum est muliebre , ratio  
 etiam parandi cibos , quae mundior multo est in  
 femi-

feminis, quam in uiris. Alia praeterea quaedam officia ad corporis cultum necessaria, quae illae et melius obeunt, et honestius. Sed nos hic de literato homine agimus, eiusque uxore ad eam rationem accommodata. Huius igitur illa **et** otium studiumque suis laboribus sustentabit, **et** ualestudinem, cuius habenda in studiis magna ratio est, commoda uictus confuetudine diligenter curabit, **et**, suscepta tota domestica cura, ita administrabit rem familiarem, ut maritus, nullis aliis rebus impeditus, omnique solicitudine liberatus, in optimis literis conquiescat, **et** eam fere libertatem ac tranquillitatem in coniugio habeat, quam Paulus in coelibatu proponit. Nam, cum se sociam intelliget propterea esse ascitam et adiunctam, ut eam uitam adiuuet, cauebit in primis, ne eius id otium tranquillitatemque impediatur ac perturbetur, ad quam conseruandam diuinitus marito est coniuncta. Quare nec sua intemperantia importunitateque secretas ac quietas cogitationes uiri conturbabit, nec ignauia ac negligentia animum eius ab studiis ad rerum domesticarum curam deuocabit. Quid dicam de iucunditate atque uoluptate, quae in eiusmodi coniugio honesto expetenda est, atque ex bona uxoris consuetudine capienda? Quae est uita aut coniunctio, quae plus, quam haec, aut etiam tantum, habeat suavitatis? Iucundus est fraternus amor, suavis mutua amicorum benevolentia et familiaritas, sed omnes ista coniunctio uincit amoris suavitates, **cum ha-**

beas uxorem, iis moribus praeditam, de quibus  
 ante dixi, tibi a Deo datam, in pietate ac timo-  
 re Dei institutam, modestam, castam, grauem,  
 quam ames, et a qua ameris, cui fidas credas-  
 que omnia, cum qua familiariter libereque lo-  
 quaris, nihil dissimules, celes, obtegas, quae,  
 in omni temporum uarietate, tibi perpetuo adhae-  
 rescat socia, consors ac particeps tum bonorum,  
 tum etiam malorum, cuius et gratulatio in re-  
 bus secundis iucunda sit, et in aduersis grata  
 consolatio, in omnique fortuna animi sit summa  
 consensio atque coniunctio. Haec tantum ha-  
 bent suavitatis, quantum melius experiendo per-  
 cipi ac sentiri, quam dicendo exprimi et intel-  
 ligii, possit. Quod si liberi contingent, qui sint,  
 et mutui amoris pignora, et ingrauescentis aeta-  
 tis subsidia, et dona diuinae benignitatis, tum  
 uita haec coniugata omni iucunditate felicitate-  
 que cumulatur atque expletur. Nihil enim est  
 nec ad fructus rei alicuius percipiendos uberior,  
 nec ad uoluptatem pie in Deo perfruendam sua-  
 vius, nec ad infirmam senectutem tuendam su-  
 stentandamque acommodatius, nec ad memori-  
 am nominis ac generis propagandam perpetuan-  
 damque melius, quam liberi, a bonis parenti-  
 bus et procreati, et bene educati atque instituti.  
 Nec uero domus solum ac familiae ornamenta  
 et praesidia sunt posita in liberis, uerum etiam  
 reipublicae, quae nulla alia ratione florere po-  
 test et beata esse, quam tam praestantis prolis,  
 cum procreatione, tum educatione. Neque  
*exod*  
 ullum

ullum est genus hominum, a quo, ob unam istam causam, haec uita, in coniugio posita, magis requirenda sit et postulanda, quam literatorum, quorum professio, non docendo solum et scribendo, uerum etiam prolem gignendo atque instituendo, reipub. plurimum prodesse potest. A quibus enim aut meliores nasci possunt, aut melius erudiri, si hiusmodi sint literati, ut eorum uita ac mores cum professione piae elegantisque doctrinae consentiant? Ea quae et qualis esse debeat, antea satis demonstratum a me est. Sed, hac in parte domus, quae omnium rerum domesticarum est maxima et praestantissima, quantum uigere possit industria et prudentia piae mulieris, puto, satis intelligi ex his, quae diximus. Praecipua enim pars muliebris custodiae ad hanc pertinet liberorum rectam educationem atque institutionem. Quare hanc primam curam liberorum ita suscipiet prudens sanctaque femina, ut maritum omnino liberet, et liberos, adhuc infantes, aut pueros, ita uel educabit, uel informabit, ut ad grauiorem postea disciplinam marito tradi possint. Iucunda est haec liberorum procreatio, iucundior educatio atque institutio, qua ipsi in uirtute, in primisque pietate et modestia, adolescent, Deum metuant, parentes renereantur, eamque indeolem praeferant, ac spem ostendant, ut et a Deo dati, et a probis parentibus nati, et instituti reip., esse uideantur, eique eas utilitates allaturi, quae ex praecclara coniugum procreatione atque edu-

catione sunt expectandae. Neque enim tantae curae erit parentibus, ut illos suarum facultatum heredes relinquant, quam uirtutum, iisque artibus illos erudiant, quibus et honesti, et reipublicae utiles, esse possint. Est enim hic usus ac finis bonae iobolis, ut, cum diuinitus sit data, tum ad communem hominum utilitatem, tum ad praeclaram parentum memoriam retinendam, tum uero ad nomen Dei celebrandum, a quo quasi stirps quaedam diuina per parentes nata sit, ad easdem quoque res adolescat, et maxime ad eius confessionem ac prædicationem, a quo posteritas piorum gubernatur et fortunatur. Debent enim boni liberi parentibus succedere in eam societatem, quam illi cum Deo habuerunt et sancte coluerunt, eumque pietatis cultum, per manus traditum, retinere, quo illi Deo se probarunt et beate hic uixerunt. Nulla successio est præstantior, quam religionis paternae imitatio, nec certior ac opulentior hereditas digniorque, quam uel parentes suis tradant, uel liberi a parentibus accipiunt. His enim heredibus ac posteris beatam uitam Deus promisit, qui cum diuinæ illius societatis sunt participes, quam parentes cum Deo institutam religiose coluerunt, eiusdem etiam traditae uolunt uideri successores et heredes. Itaque, quibus studiis atque institutis illi eam societatem celebrarunt, iisdem pii liberi conabuntur ornare, omnibusq; honestis rationibus colere, quibus, se in ueterem maiorum parentumque

gentiumque possessionem a Deo quasi missos esse, declarant. Societas autem et amicitia haec est, quod Deus est Deus piorum et parentum, et liberorum, isque promittit, se illos adiuturum atque beatum, modo hi, sua quoque ex parte, eam fidem et integratatem praesent, quantam praeclara ac sancta coniunctio requirit. Ea autem amicitia est instituta, eiusque promissio confirmata, in eo semine, de quo ictum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, \* quod cum Christus Iesus solus sit, oportet, eum omnis sanctae beataeque proli stirpe esse. Quare salua erit, ut ait Paulus, mater, quae tales liberos peperit, in fideque ac charitate instituerit et continuerit, felices liberi, qui a talibus parentibus sunt procreati atque educati, fortunatae domus, in quibus, ex tam sanctis coniugii, tam praestans ac diuina soboles efflorescit, beatae illae respub., quae ciues, hac mente praeditos et cum Deo ita coniuctos, habent. Haec praestantia liberorum, quam *EUTENIAV* uocat Aristoteles, describitur in eo Psalmo, \* in quo Spiritus sanctus, laudes coniugii complexus, in ceteris eius commoditatibus, hunc fructum liberorum uberrimum et praestantissimum commemorat atque exornat, eamque bonitatem durarum rerum optimarum similitudine demonstrat. Nam, et uxorem foecundam similem, dicit, esse uiti fructiferae, quae, patulis diffusa palmitibus,

\* *Genes. XXIII.*\*\* *Ps. CXXVII.*

lateribus domus adhaerescit, et, liberos, bene tum  
 natos, tum educatos, uelut plantulas oleae esse,  
 ostendit, quae ordine et eleganter sint descri-  
 ptae atque distinctae. Quid autem est in fru-  
 gibus, et in his, quae ad usum hominum terra  
 gignuntur, quod his duabus stirpibus, uite et  
 olea, sit uel fertilitate uberior, uel fructus bo-  
 nitate praestantius, uel suauitate incundius?  
 Itaque, cum Spiritus sanctus ita magnifice con-  
 iugium laudarit, eiusque fructum his duobus o-  
 ptimis suauissimisque liquoribus compararit, fa-  
 cile intelligi potest, quid sentiat de illius dignita-  
 te. Is enim, qui eius instituti autor fuit, eius-  
 dem est etiam, laudator. Neque uero Deus  
 hoc genus uitae summis laudibus solum afficit,  
 uerum etiam singularibus beneficiis, quae et  
 promisit, et praefstat, iis coniugibus, qui, in ipso  
 omnem spem collocantes, pie, et iuste, et  
 sobrie, uiuunt. Promissiones illustres et am-  
 pliae in diuinis literis extant, factae piis coniugi-  
 bus, quae non prius uerae esse desinunt, quam  
 Deus esse Deus. Sunt multa grauiaque exem-  
 plia sanctorum hominum, quorum uita in coniugio,  
 non pie modo, sed etiam beate, acta, et ab  
 Spiritu sancto memoriae prodita, nos fatis do-  
 cere potest, quam haec ratio uitae Deo sit gra-  
 ta atque chara. Usus uero quotidianus et ex-  
 perientia eorum, qui in matrimonio Deum me-  
 tuunt et diligunt, hanc, et ueritatem Dei, con-  
 stantiamque in amandis piis coniugibus, et ma-  
 gnitudinem beneficiorum eius, mirabiliter decla-  
 rat,

rat, et bonos retinet, cum in piis studiis atque  
 officiis praefstandis, tum in donis Dei gaudiis-  
 que perfruendis, quorum tanta est magnitudo,  
 ut aliae incommoditates ac molestiae, quae in  
 eam uitam solent incidere, omnes euaneant  
 obscuratae. Quam ob rem, ne propterea do-  
 cti abhorreant ab hoc vitae genere, aut, cum  
 iam in eo fuerint, animum despondeant, quod,  
 in coniugio curas aliquas magnas ac molestas esse  
 audiant, aut ipsi uideant ac sentiant. Tanti e-  
 nim sunt fructus, tam uberes atque praestantes,  
 et honestatis, et utilitatis, et etiam uoluptatis,  
 tantaque perfrutio cum ipsius Dei, tum ipso-  
 rum coniugum et liberorum, ut incommoda, his  
 tot et tantis commodis gaudiisque comparata,  
 nulla prope appareant. Quae autem est uita,  
 quae uacet iis incommoditatibus, quae a fortu-  
 na temporibusque importantur? Sed in coniugio  
 si qua sint incommoda, ea et fiunt leui-  
 ora, cum comparantur cum plurimis ac maximis  
 ipsius Dei beneficiis, et facilitiora, cum ad eius  
 uoluntatem referuntur, et communiter fortiter-  
 que a coniugibus ipsis perferuntur. Etenim,  
 magnam uim habet, et ad leuationem mali, et  
 ad confirmationem animi, cum communio o-  
 nnis suscipienda subeundaque fortunae, tum  
 mutua consolatio atque opis diuinae expectatio,  
 quae omnia maxime sunt in pari aequabilique  
 coniugio, cum duo, uno spiritu atque animo  
 coniuncti, intelligunt humanae vitae, maxime-  
 que Christianae, conditionem, et, Deo confi-  
 dentes.

centes, in eoque acquiescentes, ita ei adhaere-  
 scunt, ut nullis rebus, nec aduersis, nec pro-  
 speris, diuelli possint. Denique, qui omnem  
 spem suam in Deo fixerunt, atque ea de causa  
 studium pietatis magnum suscepserunt, ut Deum  
 ament et reuereantur, hi et praesentia mala  
 moderate ferunt, et ea bona adipiscuntur, qui-  
 bus non possint non esse laeti atque beati. Ha-  
 bet enim ea pietatis exercitatio promissiones non  
 futurae solum uitae, uerum etiam praesentis,  
 multiisque et magnis afficiuntur et ornantur  
 Dei beneficiis, qui eum pie colunt, qui ipsum  
 et meruunt, ut dominum, et, ut patrem, dili-  
 gunt. Praestent igitur tantum coniuges offici-  
 um suum, obeant diligenter ac fideliter id mu-  
 nus, quod a Deo acceperunt, uir studiosus ac  
 doctus rem literariam, uxor eius custodiam  
 domesticam, Dei gloriam in primis, quaerant,  
 eum in omnibus, quae suscipient, inuocent, in  
 eiusque fidem ac bonitatem se permittant, ab eo,  
 finant, regi et protegi istam uitam, qui eam et-  
 iam effecit, eam totam conferant ad eos usus, ad  
 quos comparata est, ad cultum Dei, ad utilita-  
 tem poximi, ad commendationem pulcherrimi  
 instituti, denique ad testificationem eius piae-  
 stantissimae spei, ad quam a Deo uocati sunt.  
**H**arum omnium rerum suscipiant honestissimum  
 certamen, Deoque gratissimum, ut uterque in  
 suo genere ita se gerat, ut nihil sua uocatione  
 indignum committat, sed eam ita ornet, ut Deus,  
 autor eius ac creator, apud omnes quam optime  
 audiat.

audiat. Illud in primis caueant, ne se dedant  
 auaritiae, quod uitium in coniugio facilime ex-  
 istit. Duo enim sunt uitia studiosis maxime  
 inimica ac infesta, libido in uoluptatibus mulie-  
 rum effrenata, et cupiditas pecuniae infinita,  
 quorum alterum plerunque affert coelibatus, in  
 quo continentia carnis perdifficilis est, alterum  
 matrimonium, in quo curae domesticae ad auar-  
 itiam solent spectare. Vtrunque uero teterri-  
 ma pestis, ac perniciies ingeniiorum atque studio-  
 rum, ut nihil, literis dignum, nec cogitare, nec  
 facere, possint, qui suum ingenium atque stu-  
 dium his duobus uitiis dederint. Sed, de in-  
 temperantia illa carnis, extra coniugium ubique  
 peruagantis, antea dixi, et, quomodo ea repre-  
 mi concinerue possit, ostendi. Coniugium  
 unicum esse intemperantis ac impudicae libidi-  
 nis remedium, et uitae literatae ornamentum, de-  
 monstrau. Easdem uero uiles, ad nocendum et  
 corrumpendum animos, dico, habere alterum ge-  
 nus libidinis, quod in explenda pecuniae cupiditi-  
 ate uersatur, haud scio, an etiam maiores,  
 quam illam libidinem muliebrem. Nihil enim  
 est, quod magis animum effeminer, uimque in-  
 genii eneruet, quam studium pecuniae, quam,  
 ut ait Salustius, nemo unquam bonus appeti-  
 uit. Id autem, cum in omni uita, maximeque  
 coniugata, late pateat, cauere debent literati,  
 ne omnino eos attingat, si uolunt recte uti eo  
 instituto, quod ad humanitatem, ad liberalita-  
 tem, ad hominum salutem, ad Dei gloriam, est  
 omne

omne conferendum. Recte Socrates Sophistas reprehendere solebat, quod ex studio sapientiae quaestum facerent, mercede docerent, philosophiamque, quasi artem quaestuosam, facerent. Genus hominum id erat auarissimum, et animo, ingenio iudicioque, corruptissimum, in quo nulla erat uera, nec bona, doctrina, sed tantum quaedam ostentatio, magis ad turpeum quaestum, quam ad ueram doctrinae laudem, opportuna. Itaque id genus hominum, auaritia uehementer deprauatum, sapientissimus uir merito infectabatur, quod ea re, quae ad humanitatem ac liberalitatem data est, ad quaestum et auaritiam turpis abuterentur. Hoc uitium etiam diuus Paulus \* uehementer reprehendit, et, idololatriam quandam esse, dicit, idque cum ab omni uita Christianorum uult abesse, tum praecipue eorum, qui religionem docent et ecclesiam administrant. Ad quorum quidem uitam integram atque incorruptam cum haec literarum ratio proxime accedit, debet ea quoque a pecuniae studio maxime remota esse, eiusque cupiditatis non modo crimine, sed omni etiam suspicione, carere. Quapropter non est ipsis in eam rationem incumbendum, ut opibus, copiis ac facultatibus, possint plurimum, sed potius in eam, ut ingenio, studio, doctrina bonarum artium, ualeant et florent. His enim rebus potius debent abundare, ac florere, quae animi atque in-

\* Coloss. III.

genii

genii sunt propriae , quam his , quarum copia ab  
hac professione est aliena , et in fortunae potesta-  
te posita . Itaque non tam ipsis studendum est ,  
ut patres familias locupletes , opulentи copiosи-  
que , et sint , et habeantur , quam studiosi , lite-  
rati atque eruditи , nec quaestuosi ac auari mer-  
catores , sed rerum honestarum atque ingenua-  
tum professores et doctores . In ceteris mode-  
sto homini ac studio , in ista quidem uita ,  
mediocri fortuna opus est , qua et illud otium  
studiorum , et ipsum coniugium , commode tue-  
ri possit . Nam immodesto , ac intemperanti  
et ignauo , aut etiam auaro , quid posset esse  
fatis ? Effusa est omnis intemperantia , infinita  
pecuniae cupiditas , nec ullis opibus expleri po-  
test . At literati et moderati hominis ea est  
et natura , et institutio ac professio , ut ea fortu-  
na sit contentus , quae neque deficiat , neque  
nimium abundet , quae necessaria uitae otiique  
praesidia habeat , aut certe ornamenta ei profes-  
sioni dabitа ac conuenientia , ut nulla sit destitu-  
tio earum rerum , quae ad uictum quotidianum  
pertinent , et , remotis sordibus , quaedam mun-  
ditia adsit atque elegantia . Quod si ea princi-  
pio non ita suppetunt , ut quieta et commoda  
uitae ratio requirit , non propterea tamen despe-  
randum est , neque studium literarum abiicien-  
dum , nec coniugium repudiandum , aut damnan-  
dum . Deus enim est , qui utrumque instituit ,  
qui utrumque sua prouidentia regit , qui , utri-  
usque curam se suscepturn et habiturum , pro-  
misit .

misit. Modo nos officio nostro non desimus,  
ille nobis non deerit. Inseruiamus nostrae uocationi, in eaque obeunda omnem diligentiam  
adhibeamus, quod munus, et quae dona, a Deo  
acceperimus, consideremus, eaque omni industria  
ac labore exuscitemus et excolamus, nec, extin-  
gui, aut etiam imminui, ea, sinamus. Oremus  
eum, qui illa dedit, ut ea etiam augeat atque  
fortunet. His nos utamur ad communes homi-  
num necessitates subleuandas, et ad gloriam Dei  
illuststrandam, non ad quaestum, ad otium, ad  
uoluptatem nostram, abutamur, nec perfidiose  
in ea uersemur, quae nobis ad aliorum commo-  
dum commissa est, in qua summa integritas et  
fides postulatur, cuius ratio, et aliquando in hac  
vita, et in futura, reposcetur. Itaque cum ti-  
more Dei uocatio integre et caste obeunda est,  
et obedientium diuinae uoluntati. Qui hac  
mente atque animo sunt, et, ut ait Paulus de  
ministris ecclesiae, bonam conscientiam in his  
studiis praestant, et eam, quam i*s* Apostolas ap-  
pellat *αδιαφροσύνη*, hi dignissimi sunt, qui lite-  
ris praesint, easque profiteantur, qui, se ad hoc  
genus uitae a Deo deductos esse, putant, non, ut  
opes cumulent, aut suas expleant uoluptates,  
sed, ut humanas necessitates adiuuent, mores  
hominum informent, in pietate, iustitia, tempe-  
rantia, non solum docendo, uerum etiam scri-  
bendo. Ex hoc genere raro atque diuino, fu-  
erunt doctissimi ac sapientissimi illi uiri, Socrates,  
Plato, Aristoteles, Xenophon, Isocrates, Cicero  
et

et alii complures, quorum studium in priuatis domesticisque rebus amplificandis non fuit occupatum, sed in tradendis iis artibus, quae uitiae humanae instituenda sunt utiles et necessariae. Ea enim scripserunt, scriptaque nobis posteris reliquerunt, quibus nec domus ulla, nec res publica, carere potest. Eadem uoluntas literatis hominibus est fuscipienda, ut, neglectis etiam rationibus priuatis, uelint ac cupiant utilitatibus publicis inseruire atque consulere. Neque solum auaritia, reique familiaris amplificandae cupiditas, immoderata fugienda est, uerum etiam ambitio, suam quaerens gloriam, totaque istius studii commendatio et dignitas, est ad Dei laudem atque honorem referenda. Is enim finis homini pio est proponendus, cum in uitiae genere, tum uero in studiis bonarum artium, quibus Deus, et in primis debet, et maxime optime que laudari potest. Est enim honestum atque aequum, ut is praecipue laudetur ab eo instituto, quod non solum ad cognitionem rerum bonarum atque honestarum est comparatum, sed etiam commendationem laudemque, cuius quidem fructus maxime debet in eum redundare, qui illius autor est. Ea autem uis inest in omni natura rerum, quae a Deo sunt conditae, ut omnes prope suum autorem ac creatorem recognoscant, et commendent etiam illae, in quibus nulla non modo ratio et oratio, sed ne uita quidem inest atque anima, ut etiam sine uoce, sine spiritu, Deum ipsum, a quo sunt creatae, lau-

K dent

dent quodam modo et praedicent. Multo igitur magis pius vir in id studium diuinæ gloriae incumbet, eumque finem totius uitæ suæ sibi constituet, ut is in primis laudetur ac honoretur, a quo in eo uitæ genere collocatus est, maxime uero literatus ac doctus, cuius professio uniuersa honorifica, confessio nominis Dei, plena omnis eius laudis esse debet. Neque enim illa alia est uitæ ratio, quae cum omnes res bonas, tum ipsum Deum, qui est optimus, uerius, et grauius, et ornatius, laudare possit, quam haec una literarum, in qua est custodia omnis memoriae et gloriae, in qua est lumen, quod nisi ad res honestas ac praeclaras illuſtrandas accendatur, necesse est, ut in tenebris perpetuis sepulta iaceant. Quid autem est melius, aut praeclarius, religione? quid a Deo omnibus magis commendatum? Ea igitur vir doctus ac Christianus nihil charius atque antiquius habeat, ad eam illuſtrandam amplificandamque, omni studio incumbat, itaque se gerat, et in studiis, et in omni vita, ut aeternam laudem testimoniumque sempiternum ei det, a quo est et in ea uitæ ratione collocatus, et Christianus appellatus. Nulla est certior via ad ueram gloriam, quam fides et charitas, quarum altera laudem Dei, altera utilitatem proximi, habet propositam. Quibus duabus uirtutibus qui sunt praediti, hi pii, ac diuini, et filii Dei, appellantur, quorum ut studium in propriis uel uoluptatibus, uel commodis, uel honoribus, non fuit occupatum, ita nomen

nomen erit aeternum. Illa uero ambitio, cum est perfidiosa ac iniulta , quae Deo honorem eripit, tum etiam uana et inanis , quae nullum uerum praestantemque fructum gloriae sectatur , sed quendam tantum florem , qui , una cum herba, subito extinguetur. Brevis enim et fluxa res humana gloria , quae , cum a carne sit profecta, oportet , ut iisdem terminis , quibus caro est circumscripta , definiatur , nec ad diuina atque coelestia unquam pertineat. Omnis caro , inquit Propheta , \* est sicut herba , et gloria eius, uelut flos ex herba natus. Illa excisa exaruit, et flos collapsus emarcuit atque extabuit. At uerbum Dei , eiusque obseruatio, manet in aeternum. Quare , ut aliquando finem faciam atque hanc disputationem concludam , moneo et hortor omnes studiosos , ut magnitudinem ac dignitatem suae professionis considerent, autoritatem uoluntatemque eius , qui illam effecit et concessit , semper sibi proponant , ad eamque omnem rationem uitae ac studiorum accommodent, praestent eam animi integritatem , quam Paulus in ministris ecclesiasticis requirit, ut munus commissum obeant fideliter ac diligenter , in eoque communi hominum utilitati et Dei gloriae inferuant. Si, absque uxore, possunt pudice ac caste uiuere , utantur ita eo dono atque otio , ut eius tantae commoditatis ratio constet , fructusque , dignus ea libertate , ad rem publ. ecclesiamque perferatur. Sin uident , eam uitae ratio-

K 2

nem,

\* Esiae XL.

nem, ad retinendam pudicitiam, esse difficilem, aut, ad societatem hominum colendam, parum aptam, aut iniucundam, suscipiant alteram, de qua differui, coniugium amplectantur, et in eo ita uiuant, ut ostendi. Ego, quae de eius dignitate utilitateque scripsi, nolim, eam in partem accipientur, quasi ei in instituto, quod sum amplexus, magis faueam, quam communi utilitati ueritatique inferuam et consulam. Huius mei consilii atque studii nullum alium magis idoneum testem possum proferre, quam conscientiam meam et ipsum Deum, animi inspectorem, quem in spiritu colo in his literis, qui satis scit, me, non tam studio ornanda eius uitae, quam secutus sum, quam demonstrandae ac defendendae ueritatis, hanc disputationem scriptionemque suscepisse. In qua quidem, uir amplissime, si meum studium tibi probauero, maximum me putabo, mei laboris fructum consecutum.

---

Explendo uacuo, et S. Gryphii, et G. Berlinganni, Praefationes, ipsorum editionibus olim praemissas, subiungere uisum est, indignas fortasse, quae uel praetermittentur, uel perirent.

## SEBASTIANVS GRYPHIVS PIO LECTORI SALVTEM

**Q**vae de genere uitae literatae scripta sunt, Lector, in hoc libro, ea eiusmodi sunt, ut ad alias quamvis rationem.

onem, quae Christiana sit, recte accommodari possint. Ea enim hominis literati, eiusque uxorius, informatio ad unumquemque pertinet, qui Deum metuit, eaque colenda est ei, qui suum munus et officium Deo in primis probare uult. Etsi enim divina sapientia in sacris literis habet doctrinam inspiratam diuinitus ac traditam, quae omnem hominem, in omni uitae genere atque opere, instituat atque perficiat, haec tamen, de uno, statu copiosius accuratiusque scripta, ad omnem aliam Christianam professionem informandam et regendam, non parum adiumenti afferent. Professio literarum, in coniugio collocata, hic instituta est, et uita coniugum in genere caste modestique uiuentium conformata. Sed quisque, pietatis studiosus, hanc uitae studiose institutionem ad suam quoque transferre potest eaque hinc desumere, quae ad cultum Dei, in suo instituto praestandum, pertinent. Etenim, multae quidem et uariae sunt uocationes atque munera functiones, sed una tamen communis omnium professio est, in pietate ac religione constituta, quae in omni uitae munere praestanda est. Eam cum in studio optimarum literarum praescriptam habeas, ad propriam rationem tuam debes, tuumque officium et mores, in sanctitate atque modestia conformare. Itaque te etiam atque etiam hortor, ut ista, quae pie quidem scripta sunt, studiose legas, fructumque, pia et autoris scriptione, et lectione tua, non indignum percipias. Vale.

# GRÈGORIVS BERSMANVS

Beneuolo Lectori

S. D

**P**RUDENTIAM non modo principem et matrem uirtutum omnium , sed etiam dum ac magistrum uitae ( ita enim interpretamur , quod apud diuinum Platonem dicitur , Φέόνοις μόνον ἡγεῖται τὰ δέθως πράγματα ) censuere omnes , quotquot et ingenii acumine , et iudicij dexteritate , inter philosophos praestiterunt . Nam , cum uirtutum quarumcunque actio , quae sane et laudem ipsarum perficit , a recto proficiscatur rationis iudicio , consilioque constet ac proposito , ad quorum moderationem prudenter omnino opus est , quis non uidet , nullam honestatis partem uirtutis huius usq; uacare posse ? Quae in mente , uelut in sede honoris sui a sella quadam curuli , collocata , et iustitiae officia praescribit , et , quae fortitudinis munia sint , quae temperantiae partes , dictitat , et omnino actionum omnium laudem explicat ac gubernat . Atque , ut , quod diximus , cum summorum uiorum testimoniosis , tum , si quis re ipsa , quam autoritatibus , niti malit , rationibus exquisitis planum fieri potest ac confirmari , ita usus uitae docet , ad res gerendas opus esse et perspicientia quadam , ad cognoscendum scilicet , quid in quaere re uerissimum sit , et solertia , ad explicandas nimirum rationes atque consilia in iis , quae perplexa sunt atque impedita . Quibus utrisque ad de-

libe-

liberationem adhibitis , et in consultando minus erratur , et in diuidicando statuendoque eo, quod rectum est, quod honestum , quod utile , sententia fertur maturior magisque considerata . Quod, cum in constituenda totius uitiae ratione , sedulo et accurate fieri ab unoquoque debet, ut in consilium , inquam , adhibeat moderatricem hanc rerum, cum publicarum , tum domesticarum ac priuatarum , quae, praeteritorum memoria instructa, magistraque experientia edocta , non praesentia modo cernit, sed , similitudines comparando , et disiuncta coniungendo , etiam , futura quae sint, praeuidet, ac mentis sagacitate anteuertit , tum in deliberatione de contrahendo matrimonio, quae est una omnium difficilima , in primis hac consultrice prouida utilitatum comoditatumque omnium, est utendum . Plerique enim uigentis adolescentiae annis, cum inest maxima consilii imperitia, caeco quodam amoris impetu commoti, ac feroce iuuenili inflammati, ante implicantur coniugio , quam, quod illud uitiae genus esset, iudicare potuerunt . Multi, formae uenustate allecti , plures, dotis magnitudine inescati , neque pauci, splendore generis fascinati , his autoribus et consuasoribus, agunt omnia . Alii ad parentum suorum consuetudinem moremque deducuntur, non nulli multitudinis foruntur iudicio , quaeque maiori parti optima uidentur , ea maxime consecranda sibi existimant . Quos, meo quidem iudicio , satius erat, cum animis suis considerantes illud P. Syri , Deliberandum est diu , quod

statuendum est semel, et hoc item alterum, De-liberare utilia, mora est tutissima, diu secum multumque deliberare, atque ad naturae suae rationem, uitaeque institutum, consilium conferre omne. Praesertim, cum, in diligendo matrimonio, si quid erroris acciderit, accidit autem sae-pissime, non, quod aliis in rebus facere in promptu est, si quis forte, se errasse, intelligit, rationum et consiliorum mutationem instituere cuiquam sit integrum, sed aut stultitiae poenam luere, aut negligentiae culpam praestare, oporteat, sempiternam. Verum enim uero, cum maxime raru[m] sit hoc genus eorum, qui, aut singulari ingenii solertia, aut sapientiae copia, aut utraque re, instructi, quod in rem suam sit, consulere ipsi possint, quibus quidem facultas ista prudentiae non suppetit, Hesiodeum hoc audiant,

Οὗτος μὲν πανάρισος, δει αὐτῷ πάντα νόσου,  
Φραστάμενος, τάκ' ἐπειτα καὶ ἐς τέλος ησίν αὔμενω,  
Ἐθλὸς δὲ αὐτοκακεώς, δει ἐν εἰπόντι πιθητα.  
Ος δέ κε μήδ' αὐτῷ νοέη, μήτ', ἄλλου ακούων,  
Ἐν Θυμῷ βάλληται, οὐδὲ αὐτὸς ἀχεγίος αὐτῇ,

atque, cum sibi ipsi sapere nequeant, saltem bene monentibus aures praebeant, eorumque subiectionibus obtemperent. Ac, cum, ex Platonis quoque sententia, prudentiae autor sit Deus, parumque possit intelligentiae humanae perspicacitas, Dei aeterni prouidentia dirigatur ac gubernetur, qui hanc uitae coniugalis viam ingressuri

gressuri sunt, operam ante omnia dabunt, ut Deum sibi consiliarium, atque, in rei tam arduae consultatione atque effectione, moderatorem, pia ac religiosa nominis diuini imploratione asciscant adiungantque. Absque cuius consilii communicatione atque auxilii societate, nulla deliberatio a nobis satis prouida suscipi, nulla electio satis accurata haberi, multo minus, quod geritur, feliciter procedere, atque euentus potest sortiri prosperos. In illius praepotente manu, consiliorum actionumque omnium exitus sunt, et, ut Pindari uerba huc assūmamus, ἐν θεῷ τέτων τέλος. Vedit hoc, ueri ignara, sed non stulta, antiquitas, quae non modo, male ominatis diebus, connubia solebat interdicere, sed etiam, primo nuptiarum die, cum desponsatio futura esset, ad huius solennitatem familias nobiliores, non nisi auspicio, conuocare. Peractis auspiciis, illico rem diuinam faciebant, atque, immolato Iu-  
noni porco, quod illius numen, sacrum nuptiale parantibus, sanctum in primis erat et religiosum, praeterea Iouem innocabant, cognomento τέλεσιον, et Venerem, cumque hac Dianam Cinxiam, ac Suadelam. Etsi autem superstitionis ista auguriorum captatio, ac cultus numinum profanorum minime probandus est, immo, detestandus maxime ac deprecandus, tamen, quae in eo apparent, ad matrimonium ineundum attentionis cura, atque pietatis qualiscunque studium, haud quaquam reprehendenda sunt, sed potius adoratione ueri Dei, qui est Deus pater,

autor et praeses coniugii unicus , qui est Deus Filius , solus paranymphus , qui est Deus Spiritus sanctus , conciliator optimus , matrimonium inituris studiose imitanda , atque anxie confessanda . De qua unius et trini Dei , in coeundo coniugio , ardenti inuocatione diligenter facienda , praeter complura alia prudentiae , et circumspetionis , et cautionis , in hoc uitae genere constituendo , praecepta , sedulo tenenda , pie , sapienter et erudite , admodum , in hoc , quem tibi , lector beneuole , de alieno largientes offerimus , libello differitur . Cui quidem , de ratione uitae studiosae ac literatae , in matrimonio collocandae et degendae , autor illius , Claudio Baduellus , homo , ut existimare licet , et pietatis religiosae studio , et sapientiae copia , et doctrinae eruditio ne , praestans , titulum fecit . Quo sane in posterum nisi ualde me animi inductio fallit , et autore sapientissimo , et consiliario fidelissimo , uti poterunt omnes , *μη αὐτοῖς ταῦτα νοῆσαντες* , ut cum Hesiodo loquar , ad uitae coniugatae , qua nulla honestior est , nulla Deo immortali gratior , nulla propagando generi humano magis necessaria , societatem ac confuetudinem , natura duce , comite amore , deducuntur . Etsi enim , quae in aureolo hoc commentario disputantur , id quod de inscriptionis indicio cognoscitur , ad uitam hominum literatorum potissimum accommodata sint , quarum quidem literatum et doctrina , et laudes uerissimae , hic attinguntur , tamen eiusmodi illa quidem sunt , ut ad quamcunque aliam uitae rationem

tionem, saltem a professione Christiana non abhorrentem, quadrent, transferique ab unoquoque intelligente rectissime possint. Ego quidem, cum huius opusculi, ante annos XXXIII, Lugduni, apud Sebastianum Gryphium, impressi, typographo nostro copiam fecisset Christophorus Curio, inuenis doctrinae liberalis, et in primis LL., studiis ornatissimus, non modo autor illi fui editionis huius et adorationis, uerum etiam a me petenti, ut aliquid ad hanc operae conferrem, absque ulla laboris et occupationum exceptione, quibus obruor magis, quam oneror, haud grauatus annui. Itaque, et si mea, quasi praeconis, uoce, commentationi huic opus non erat, cui, ut probae merci, uidebam facile, uel absque ullius praeconio, repertum iri emptorem, tamen petitioni hominis amici, hac qualisunque praefatiunculae adiectione, morem gerere uolui, meamque commendationem, uelut hederam, suspendere uino, minime illi quidem inuendibili, propter eos potissimum, qui ob autoris nomen, sibi ignotum, sicut fere est ignoti nulla cupido, secundum Nasōnem, disputationem hanc minus auide erant cognituri. Quod eo feci libentius, cum, quod, gratum sibi hoc officio fieri, amicus noster significaret, tum, quod,

Ἄνδρα ὡφελεῖν, αὐτῷ ἀν

Ἐχοι τε, καὶ δύναγο, καίλλιτος πόνων  
mihi uideretur, de σοφοῖς Σοφοκλοῦς senten-  
tia. Atque hoc factum studii recti, ac uoluntatis  
officio.

officiorum , benigne Lector , ut eo animo accipias , quo a me profectum est , maiorem in modum rogo et obsecro . Non hoc mei propositi fuit , uel ingenii , in his prolegomenis , uim aliquam , uel doctrinae facultatem , uenditare , quae sentio , quam in me ambo sint exigua , multo minus uolui tibi uerborum aut sententiarum pigmentis fucum facere , ut , de laudatione mea , merces tibi obtruderentur fallaces parumque probatae . Tota res tibi ad cognoscendum est proposita , tu oculis de hac tuis ipse , tu proprio uteris iudicio , neque uero , tibi a me persuaderi , patieris , quicquam , de quo non ἀυτὸν τὸ ἔγγονον , quod dici solet , artificem demonstrando , fidem meis uerbis facere uideatur . Vale , benigne Lector , et his interim fruere , dum quid operis Musici e nostra tibi proferatur officina , quod , Deo aeterno adiuuante , et otia nobis faciente , fiet in posterum .

## THEO-

# THEODORO LEEVPIO

S. D

## IVSTVS LIPSIUS\*

**I**Ta certe, oportuit, in uiam, inquam, officii redire, a qua exorbitauimus uterque nimium diu, non negligentia aliqua, ut scio, aut contemptu, sed fortasse dulcedine cessationis et fiducia amoris. Id enim de me fateor, de te opinor. Quin saepe afficior, ut, quem ad modum, mulieres, quae uterum forunt, ad omnia nauseant, sic mibi nec scribendi libido ulla sit, nec legendi. Mare quoddam mortuum esse, aiunt, sine uentu, sine motu, sic saepe ego. Sed tu me excitasti, praesertim illa parte epistolae, qua consilium a me petis de summa uitae. Deliberas de coniugio, an coelibatu. Difficile mihi, sententiam interponere, praeiudicio iam paene devinctam. Vides enim, quid ipse fecerim. Ita, nisi a coniugio dixero, damnem me ipse, necesse est aut inconstitiae, aut erroris. Sed, seponam tamen paulisper eam cogitationem, et de tota re uidebo, quasi liber et exolutus. Ac principio, coniugium si quis damnet, impius sit in utramque legem, et ciuium, et naturae. Stare genus humanum non posse, omnes scimus, sine viri mulierisque coetu. Non ergo uniuerso id quaeris, credo, an coniugium probandum, sed strictius, an sapienti, an hoc tempore.

\* Extat Epist. Select. Cent. III, p. m. 36, sq.

tempore, en tibi. Sapientiae studia et uitae  
 quietem si sequeris, nescio, an ducenda uxor.  
 Exempla ueterum sapientum in utrumuis sunt,  
 ratio magis est, ut neget. Si enim liber animus,  
 Deo et sibi uacans, ad sapientiam et tranquilli-  
 tatem requiritur, non video, quo modo assumen-  
 da illa cura, quae, noctes diesque, adbaereat,  
 angat, coquat. Si satis molestiae in te tuisque  
 cupiditatibus regendis, frenandis, quid aliunde  
 accersis, cui imperes et moderere? Cymbam no-  
 stram difficulter gubernamus, ecce, nauim ad-  
 iunctam uolumus, cum tot armamentis? Si ful-  
 menta lectum scandunt, ut uetus uerbum est?  
 Quid? nonne bellum tibi non ciuile, sed fa-  
 miliare, sumendum est de principatu. At enim  
 moderatam audientemque tibi speras? An ex  
 composito illo uultu, oculis, uerbis, toto corpore,  
 ad modestiam facta, uxorem eliges? Credet mihi,  
 multa fides. Proprium hoc et uelut innatum illi  
 sexui, ut, crude, adhuc et uix pueritiam egressae,  
 simulent, fingant, fallant. At enim, fide et commen-  
 datio aliorum, inquietus. Nolim equum sic emere,  
 aut agrum. Et qua in re libentius, aut minus  
 cum periculo, fallunt amici? Si in equo aut agro  
 imposuerunt, expostulandi mihi saltem ius est,  
 ut non in isto. Canetur tibi illud comicum,  
 Habeas, ut nactus, et querelae tuae in uentum  
 ibunt, immo, in irrisum. In genere hoc praedixe-  
 rim de sapiente. Iam tempora ista uideamus,  
 si res laetae et prolixae, magis ferrem, te ligare  
 hoc nexu. Nempe publica solarentur, nempe in  
 spem

spem honorum et felicis aei liberos susciperes, educares. At nunc quid, nisi communes calamitates et bella? Ne domi tu quaeras. Quid, nisi exilium, exitium, imminet et mutatio uniuersi status? Ne, ad aureum seculum liberos procula te, censeas. Demique te ipsum, quod tertio posui, intuere. Animus tibi ingenuus, et corpus, id est, vires ualetudoque parum firmae. Aetatis quidem bona pars superest, sed et bona elapsa. Ingenium tibi come, molle, quod ferre iniuriam potius possit, quam inferre. Haec omnia, uides, an apta ad mores femineos nostri aei. Et Diogenes quidem ab omni aetate coniugium remouebat, satis scite. Nam iuueni, inquietabat, nondum ducenda est uxor, seni nunquam. Graece hoc sonat melius, τῷ νέῳ μηδέ ποτε, τῷ γέροντε μηδεπώποτε. At ego certe non uane id restrinxerim ad statum mediumque hoc aeuum, quod, uelut uinum, iam deferuit, et quale, mi Leeuui, est tuum. Haec in parte una dici possunt, nec pauciora in altera, quae, quoniam scio, subiici et a te tibi, et ab aliis quotidie, laborem non sumam in iis recensendis. Eo minus, quod frustra scio suaderi coniugia, aut dissuaderi, quae a coelesti nutu et a fato baud uane esse dicuntur. Bene Euripides,

Ἐννὶ γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μορσίμη. \*

Idque didicimus nos ipsi. Bina Socratis monita tantum

\* Fatalis est uiro atque feminae torus.

tantum addam. Primum, iuuenes coelibes similes esse piscibus, qui alludunt circa nassam, et gestiunt inire, contra, qui iam inclusi, exire, simile in matrimonio esse, quod ambiunt liberi, dannant capti. Alterum, sciscitanti cuidam, uxorem an non duceret? Vtrumuis, inquit, feceris, poetiebit. In quo uere oraculo concludo, et ambiuum te sententiae meae relinquam, non amoris, qui tam uerbosam a me epistolam expressit. Vale.

Menda sic emenda.

P. 5, l. 14, leg. morituro, ipsa deae uota exoluere nequiret, p. 13, l. 23, leg. Io. Andr., p. 31, l. 2, leg. Erythraeus, Rom. nobil., p. 39, l. 23, leg. A. c. 19 Lxxvii et c. 19 xxci. Reliqua, si qua occurruunt, quae nostros fugerint oculos, a legendibus magis oculatis benigne emendentur. C. Schuzium, p. 31, inter coelibes perperam esse relatum, scias.



Hn 7040

(t2373669)

**ULB Halle**  
006 810 152

3




ND 1P  
10-17-00

nc



**Farbkarte #13**



**B.I.G.**

IRENAEI CARPENTERII  
ERVDITORVM  
**COELIBVM**  
SEMICENTVRIA NOVISSIMA

SVBIVNGITVR  
CLAVDII BADVELLI  
DE  
RATIONE VITAE STVDIO  
SAE AC LITERATAE IN MATRIMO  
NIO COLLOCANDAE ET  
DEGENDAE



VITTEMBERGAE  
APVD CHR. THEOPH. LVDOVICVM  
A. CIC 16 CC. A. XVII